FRANCISCI XAVERII PATRITII

E SOCIETATE IESV

IN IOANNEM

COMMENTARIVM

ROMAE

TYPIS BERNARDI MORINI

[illegible]

IN IOANNEM

COMMENTARIVM

Ad usum Fr. Aloisii a Virgine Carmeli

FRANCISCI XAVERII PATRITII

E SOCIETATE IESV

IN IOANNEM

COMMENTARIVM

ROMAE

TYPIS BERNARDI MORINI

M . DCCC . LVII

Etsi nefas est dubitare evangelia pari auctoritate omnia esse, sublimitate tamen rerum, quas nobis exhibet, evangelium Ioannis ceteris antecellere et, qui legunt, facile pervident, et patres unanimi affirmarunt. Etenim Ioannes, non adeo quae Christus gessit atque egit, ut quae dixit ac docuit, eque his illa potissimum, quae de divina huius persona binisque naturis scire referret, literis consignata tradere studuit. Hinc illa, sublimiorum doctrinarum individua plerumque comes, qua hic liber premitur, obscuritas illaeque difficultates quibus lectorem impedire solet. Non enim salebrosum quidquam aut implexum, sed omnia plana et liquida invenimus in ea operis parte qua Christi historia continetur; ast sermones ab eo habiti, hortationes, responsa, effata, sententiae, verba, quae operis pars est longe maxima, ad haec exponenda aut solum intelligenda qui animum ap-

pellit, hunc tamquam quidam scopuli circumstare videntur. Neque vero id rerum dumtaxat et materiei arduitati attribuendum. Accidit ut legentes ad quaedam offendamus in speciem pugnantia, quorum etsi nonnulla, velut quae sunt in Io. VI, 46 et XIV, 7, levi negotio componas, at cetera non item. Ipsa orationis forma ea est, ut in argumentis vel assumptio omnino desideretur vel complexio, utque eorum, quae dicuntur, connexum et consequentiam deesse facile existimes. Ad haec accedit illud ipsum quod in laudibus Ioannis merito ponitur, utpote certissimum veritatis indicium atque ad fidem faciendam efficacissimum, quodque cuiusmodi sit, paullo diligentius declaremus necesse est. Non idem negotium est aliorum sermones intelligere in aliquem librum relatos, atque eos quos viva voce inter se aliqui habent. Etenim in rebus, de quibus colloquimur inter nos, significandis partem operae non exiguam sonus ac flexio vocis, gestus, oris habitus et conformatio, animi affectus sese prodentes, ceteraque huiusmodi adiuncta sibi vindicant; quorum tamen nihil exprimi scripto potest, quodque perspicuitati propterea deest, id, qui hos sermones colloquutionesque in historias referunt, aliquo artificio supplere necesse habent. At Ioannes, nullo artificio hac in re usus,

Christi atque aliorum sermones ita retulit, ut habiti sunt; id quod perspicere operosum non est iis qui attente et considerate hunc librum perlegunt. Id ipsum vero, etsi Ioanni, ut diximus, laudi vertendum sit ex ea parte quatenus huius fidem comprobat, non tamen potest quin eorum, quae ita referuntur, intelligentiam impeditiorem efficiat. Quapropter, ut ad eam rem cum primis ac sedulo animum advertant, qui hoc evangelium penitus intelligere avent, summopere curandum est.

Quae quum ita sint, perfectum iam esse existimo eius, qui Ioannis evangelium enarrandum sumit, potissimas curas praecipuumque studium in id impendi oportere ut Christi verba in illud relata, depulsis iis quasi nebulis quibus ea quodammodo obumbrantur, quam fieri potest, clareant, divinosque sensus his verbis subiectos levi labore assequamur. Has partes equidem mihi selegi, idque praesertim hoc Commentario edendo recepi, ut, inquam, quae a Christo dicta Ioannes scriptis mandavit, illis difficultatibus liberarem. Cetera vero, quae sunt in hoc evangelio, vix mihi attingenda esse duxi, neque amplius quam opus esset ut ne lectorem non intellecta remorarentur; maxime quod illa, pleraque certe, in tribus libris de Evangeliis, quantum satis est, exposuerim. Quos libros expedit

in promptu esse dum quis hoc Commentarium evolvet; quae enim plenius in illis sunt pertractata, ea in hoc admodum breviter perstringere visum est. Quin etiam iuverit illas quaestiones legisse quas de Ioanne deque eius evangelio in universum habuimus in primo illorum librorum.

Volo autem monitum quemque esse me Catholicis scribere; longiores igitur cum Protestantibus disceptationes a me exspectare non oportere. Argumenta quidem, quibus hi revincantur, haud omisi; sed non illa negligenda putavi quae unis nostris probarentur.

Ceterum, quod recepi, plene me atque omni ex parte praestitisse tantum abest ut credam, ut probe sentiam plurima in hoc libro repertum iri quae multo amplius exponi ac declarari potuisse, imo et debuisse, videbuntur. Verum brevitati quoque consultum esse placebat. Tum alii, spero enim, exsistent qui, quod conatus sum, perficient; hisque si quid opis afferre libellus iste meus quiverit, satis hoc erit, cur non poenitendos laboris fructus me existimem percepisse.

Evangelium expressum est ad exemplar editum in typographeo vaticano anno MDXCIII; qua in re ea religione usus sum, quae vereor ne cuiquam nimia fortasse videatur.

IN IOANNEM
COMMENTARIVM

CAPVT I

1 In principio erat verbum, et verbum erat
apud Deum, et Deus erat verbum.
2 Hoc erat in principio apud Deum.
3 Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso
factum est nihil, quod factum est,
4 in ipso vita erat, et vita erat lux hominum:
5 et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non
comprehenderunt.
6 Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes.
7 Hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.
8 non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.
9 Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.
10 in mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.
11 In propria venit, et sui eum non receperunt.
12 quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius:

13 qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

14 Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a patre, plenum gratiae, et veritatis.

15 Ioannes testimonium perhibet de ipso, et clamat dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat.

16 Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.

17 quia lex per Moysen data est, gratia, et veritas per Iesum Christum facta est.

18 Deum nemo vidit umquam: unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit.

19 Et hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et Levitas ad eum ut interrogarent eum: Tu quis es?

20 Et confessus est, et non negavit: et confessus est: Quia non sum ego Christus.

21 Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non.

22 Dixerunt ergo ei: Quis es ut responsum demus his, qui miserunt nos? Quid dicis de teipso?

23 Ait: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta.

24 Et qui missi fuerant, erant ex Pharisaeis.

25 Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?

26 Respondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.

27 Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est: cuius ego non sum dignus ut solvam eius corigiam calceamenti.

28 Haec in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans.

29 Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, et ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.

30 Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat.

31 Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.

32 Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de caelo, et mansit super eum.

33 Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.

34 Et ego vidi: et testimonium perhibui quia hic est Filius Dei.

35 Altera die iterum stabat Ioannes, et ex discipulis eius duo.

36 Et respiciens Iesum ambulantem, dixit: Ecce agnus Dei.

37 Et audierunt eum duo discipuli loquentem, et secuti sunt Iesum.

38 Conversus autem Iesus, et videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quaeritis? Qui dixerunt ei: Rab-

bi, (quod dicitur interpretatum Magister) ubi habitas?

39 Dicit eis: Venite, et videte. Venerunt, et viderunt ubi maneret, et apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima.

40 Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant a Ioanne, et secuti fuerant eum.

41 Invenit hic primum fratrem suum Simonem, et dicit ei: Invenimus Messiam. (quod est interpretatum Christus.)

42 Et adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus, dixit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas. quod interpretatur Petrus.

43 In crastinum voluit exire in Galilaeam, et invenit Philippum. Et dicit ei Iesus: Sequere me.

44 Erat autem Philippus a Bethsaida, civitate Andreae, et Petri.

45 Invenit Philippus Nathanael, et dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege, et Prophetae, invenimus Iesum filium Ioseph a Nazareth.

46 Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni, et vide.

47 Vidit Iesus Nathanael venientem ad se, et dicit de eo: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.

48 Dicit ei Nathanael: Vnde me nosti? Respondit Iesus, et dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.

49 Respondit ei Nathanael, et ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.

50 Respondit Iesus, et dixit ei: Quia dixi tibi:
Vidi te sub ficu, credis: maius his videbis.

51 Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis caelum apertum, et Angelos Dei ascendentes, et descendentes supra Filium hominis.

COMMENTARIVM

Quae sunt in I, 1-18, ea fuse exposui in opere de Evangeliis L. III. Diss. VIII. Illius dissertationis summam dumtaxat hic perstringam.

Ioannes scripsit evangelium ut demonstraret *quia Iesus est Christus filius Dei*. Ergo par fuit ut narrationem exordiretur a doctrina de Verbo.

Quum totus hic locus sit dogmaticus, eius interpretatio ex una ecclesiae et patrum doctrina petatur atque accurate confirmetur necesse est. Ad confirmationem sufficit vel ipsa consideratio eius quod Ioannes demonstrare voluit, eademque satis est contrariis refellendis. Etenim demonstrare ille voluit Iesum esse *Christum filium Dei*. Quod Iesus esset filius Dei *adoptivus*, quum hoc sit omnibus iustis commune, non erat cur de eo demonstrando Ioannes laboraret. Qualis ergo filius, si alius ac *naturalis?* Hoc enimvero Ioannes nos minime docet. Num vero dicetur Ioannes tantopere studuisse evincere Iesum esse *filium Dei*, nec tamen curasse nos docere quaenam esset haec filiatio? Aiunt hanc esse excellentiam filiationis adoptivae, de qua in v. 14. Verum primo ratio grammatica id refellit, nam illud *plenum* non potest referri ad *unigeniti*. Deinde, quantumvis excellentiorem, attamen natura eamdem ac nostram futuram fuisse apparet hanc divinam Christi *filiationem adoptivam*; non ergo *unigenitus* dici potuisset.

Legantur Cyrillus Alexandrinus (1), Chrysostomus (2), Basilius (3), Petavius (4), Prudentius Maranus (5).

Summa versuum 1-18. — v. 1 Verbi aeternitas, persona, consubstantialitas. — v. 2 Eadem inverso ordine. — v. 3 Verbum caussa rerum omnium tum naturalium, — vv. 4. 5 tum supernaturalium, praesertim *fidei* et *gratiae*. — vv. 6. 7 Dicta confirmantur testimonio Baptistae, quod cur magni faciendum, ratio affertur. — v. 8 Pro suo instituto Ioannes, data occasione ex antecedentibus, removet opinionem falsam de Baptista. — vv. 9-14 Verbi adventum inter homines, huiusque adventus caussam et successum, atque ipsius Verbi incarnationem perstringit; — v. 14 quarum rerum testes oculatos adhibet primo se una cum ceteris qui Verbi gloriam conspexerant, — v. 15 deinde Baptistam. — v. 16 Quae bona Verbum nobis attulerit, — v. 17 quantum haec prioribus praestent, paucis narrat. — v. 18 Omnia denique, quae dixerat, ipsius Verbi testimonio confirmat.

v. 1. *In principio.* Significat vel *caussam,* vel *ordinem loci,* vel *temporis.*

Non *caussam.* Nam non ipsius Verbi caussam. Primo quia durior et obscurior esset loquutio. Secundo quia dicendum fuisset *in Patre* vel *in Deo*, ut mox dicitur *apud Deum.* Tertio quia in v. 2 certe non significat *in Patre* neque *in Deo.* Non caussam aliarum rerum. Nam non rerum divinarum; in divinis enim non aliud praeter Verbum est quod caussam habeat, nisi Spiritus sanctus; quare verba *in principio* significarent caussam Spiritus sancti. Haec caussa Pater et Filius una sunt. Ea verba Patrem nequeunt significare; sensus enim esset Verbum esse in Patre ut in caussa Spiritus sancti, quod nemo sanus somniet. Sed neque Filium; quid namque absurdius hac enuntiatione: Filius erat in filio ut in caussa Spiritus sancti? Non

(1) Comment. in Io.

(2) Comment. in Io.

(3) De divers. hom. XVI.

(4) De Trin. II. 8, 1-15.

(5) Divinitas D. N. I. C. manifesta in scripturis et traditione L. II. P. II. 7. 8.

rerum creatarum, ac si sensus esset Verbum fuisse creatarum rerum caussam; Ioannes enim postea de Verbi operibus loquitur; quid ergo initium fecisset a Verbi operibus, omisissetque an Verbum aeternum sit, an in tempore esse coeperit?

Non *ordinem loci*. Significaret enim Verbum esse primum in rebus. Sed non in rebus divinis, in quibus nihil prius aut posterius. Non in creatis, quum Verbum creatum non sit, moxque a creatis secernatur in v. 3.

Ergo *ordinem temporis*. Sed nullum tempus Ioannes indicat in cuius principio Verbum erat. Sumitur ergo illud *in principio* absolute et in universum, ut sensus sit in principio omnium rerum quae principium habent, atque adeo in principio ipsius temporis, in summa quum primo aliquod principium fuit. Sententia ergo est: Quum tempus esse coepit, Verbum iam erat. Est ergo aeternum. — Animadverte ut a vocibus *in principio* omnia tria versus primi incisa dependeant, prout effici videtur ex verbo *erat* in singulis repetito.

An idem exordium Geneseos et huius evangelii. Grotius ait id ex Genesi desumptum. Accipimus, siquidem idem utrobique sensus sit. Sed hoc ipsum quaeritur. Subiungit, quum notus sit sensus exordii Geneseos, ex hoc intelligendum exordium evangelii. Negamus quod ponitur, notiorem esse sensum in Genesi; nam minus clare minusque expedite sensus in Genesi apparet quam in evangelio. Subsumit tamen: In Genesi sensus est: *Cum primum creavit Deus caelum et terram, terra erat etc.* Illud *Cum primum creavit* est de penu Rabbinorum Iarchi et Aben Ezrae contendentium בראשית esse in regimine, quod tamen primo nulla ratio confirmat, secundo syntaxis non patitur, tertio loquendi ratio refellit, quarto exempla ex Is. XXIX, 1 et Os. I, 2 non apta sunt ad defendendum. Animadverte praeterea in his Grotii verbis obtrudi mundi aeternitatem, et verbo *creare* affingi alium sensum ac debet; quod clarius apparet in Grotii commentario de Genesi. Concludit denique: *Ergo* IN PRINCIPIO *est cum primum rerum universitas coepit creari, iam tum erat* Verbum. Vere quidem, si verba sonent quod sonare debent, etsi non logice, quum complexio ex propositis non efficiatur. Ast, quum in his verbum *creari* non sit ex nihilo fieri, et mundus aeternus ponatur, proptereaque

conclusionis sensus nequeat esse qualem acciperemus, liquet hac Grotii interpretatione Verbi aeternitatem in dubium incertumque revocari.

Itaque autumamus eumdem esse sensum Geneseos et evangelii, dummodo in Genesi illud *in principio* non sit in regimine; regeret enim verbum *creavit,* quod quum in evangelio non sit, alius foret sensus.

Erat, in principio temporis videlicet; ergo aeternum. Verbum *fuit* potuisset prave accipi pro *esse coepit.* Lege Cyrillum, Chrysostomum, Didymum Alexandrinum (1), Basilium (2).

Verbum, vetustioribus patribus *Sermo*, graece Λόγος, nomen ab uno Ioanne adhibitum, quo altera divina persona designatur. Id apparet ex eo quod primo totus capitis contextus ita ferat, secundo Verbum Deus esse dicatur, tertio distinctus ab alio qui item Deus dicitur, quarto caro factum esse narretur, quinto in toto evangelio hoc ipsum Verbum caro factum ea egisse legamus quae Verbo ἀνυποστάτῳ non conveniunt.

Vnde Ioannes hoc nomen desumpsit in hanc notionem accipiendum? Aliud quidem est quaerere unde quave occasione ipsam vocem didicerit cui eam notionem subiiceret, aliud quamnam notionem huic subiecerit, undeque eam didicerit.

Vnde ipsam vocem acceperit. Forte ex Vetere Testamento. Potuit enim ex traditione, ex doctrina Christi, ex intelligentia scripturarum sibi a Christo data (3) discere in aliquo loco Veteris Testamenti huic voci illam notionem subesse. Id confirmatur eo quod mox de Verbi operibus dicat: *Omnia per ipsum facta sunt;* haec enim respondent verbis Ps. XXXII, 6. 9; CXLVIII, 5, quae sunt quaedam parodia historiae creationis, in qua ingeminatur illud DIXIT *Deus, . . . et factum est.* Sed damnare non ausim eum qui affirmaret hoc nomen a Ioanne desumptum esse ex orientali philosophia, in qua hoc nomen divinam vel rationem vel emanationem sonabat. Nam indidem alias quoque voces Ioannes accepit, pravis ipsarum notionibus correctis. Nomina θεός *Deus*, quae ficta numina olim significabant, ab

(1) De Trin. III. 3. Conf. I. 15.
(2) De divers. hom. XVI. 2.
(3) Luc. XXIV, 45.

apostolis, et ante ipsos ab aliis Iudaeis, atque ab interpretibus adhibita sunt ad verum Deum nominandum. Imo Deo inspirante illud factum est, ad id ut nomen λογος, recta notione ei subiecta, aeterno Gnosticorum silentio opponeretur. Lege Ignatium (1).

Quam notionem huic nomini Ioannes subiecerit, dictum superius est; didicit autem a Christo et a Spiritu sancto. Nihil commune τῷ λογῳ Ioannis et τῷ λογῳ Neoplatonicorum ac Philonis, quum alia prorsus horum Trias ac illa quam ipsi veneramur; quam utramque rem Cudworthus, Bruckerus, Benedictus Carpzovius, Moshemius omni ex parte demonstrarunt.

Et Verbum erat apud Deum. Primo propria ac distincta hypostasis Verbo tribuitur; nam non dicitur *in Deo,* sed *apud Deum.* Secundo distincta a patre; nam in his vox *Deum* non sonat naturam sed personam, tum quia continuo repetitur accepta in hunc alterum sensum, tum quia, quum mox Verbum dicatur esse Deus, dici nequit esse *apud* naturam divinam. Lege Io. XVII, 5, item Cyrillum, Chrysostomum, et Basilium (2). Cur non *patrem* sed *Deum* Ioannes nominet, mox dicemus.

Et Deus erat Verbum. Nomen *Deus* in hoc loco non naturam sed personam sonat. Primo quia sensus foret vel naturam divinam esse Verbum, vel Verbum esse naturam divinam, prout vel *Deus* vel *Verbum* habetur pro subiecto; sed utrumque minus recte diceretur et pugnaret cum superioribus. Secundo, si diceres nomine *Deus* significari naturam divinam, sed non universe, poneres eam vel non unam esse, vel dividi posse. — Verbum est subiectum enuntiationis. Etenim Ioannes in hoc loco docere debuit non quid natura divina, sed quid Verbum esset. Sicut in prima et secunda enuntiatione *Verbum* regit vocem *erat,* ita in hac tertia. Articulus id confirmat. Inversa ergo est propositio, sicut mox vv. 3. 4 et Io. IV, 24. Lege Cyrillum, Chrysostomum, Basilium (3), Orige-

(1) Magnes. 8.
(2) L. c. 3.
(3) L. c. 4.

nem (1), Didymum Alexandrinum (2), Eusebium (3). — Ariani hunc esse sensum negare non potuerunt; idcirco opponebant *patrem* significari cum articulo, *filium* sine articulo; inane commentum, quod Chrysostomus plene refellit, sed et quod quivis de dialecticorum scholis adolescens refellere valeat. — Ergo Ioannes enuntiat Verbi divinitatem, et quidem aeternam, cumque patre consubstantialitatem Deum ipsum dicens ut dixerat patrem; atque hinc ratio apparet cur hunc non *patrem* vocaverit sed *Deum*. Interpunctio Photini, ut sit punctum post *erat*, a nonnullis recentioribus Protestantibus revocata, futilis sane, nihil tamen illius atque horum haeresim iuvat, quin imo efficacius refutat, quum facilius ac certius appareat postremae enuntiationis subiectum esse Verbum; ne enim nullus sit sensus, aut certe ne ineptus, subiectum propositionis *et Deus erat* accipiendum est ex superiore enuntiatione, ut sensus sit *Verbum esse apud Deum, et idem ipsum Verbum Deum esse.*

v. 2. *Hoc erat in principio apud Deum.* Graecum exemplar pro *hoc* habet οὗτος *hic*, quia λόγος genere masculino est. Complexus trium superiorum enuntiationum. Sensus est: *Verbum erat hoc,* videlicet hoc quod dixi, id est Deus, *erat in principio, erat apud Deum.* Ita Origenes, Basilius, Chrysostomus, Cyrillus, alii. — Hactenus de divina Verbi tum persona tum natura, contra systema emanativum.

Cur non divina Verbi generatio commemoratur? Respondeo primo implicitam eam esse in ipsa Verbi notione. Lege Basilium (4) et Thomam (5). Deinde non erat cur apertius Ioannes eam commemoraret. Neoplatonici illa aetate Verbum quoddam e divina mente emanans esse docebant, ita ut aliquam eius esse generationem haud diffiterentur. Horum placitis imbutae omnium philosophorum scholae erant. E quibus qui eorum doctrinam cum doctrinis Christianorum coagmentare studebant, veriti ne, si filium ex omni aeternitate alium

(1) In Io. T. II. 1.
(2) L. c.
(3) De ecclesiast. theologia II. 17.
(4) L. c.
(5) 1. q 27. aa. 1. 2; q. 34. a. 2 c.

patre, patri consubstantialem, exsistere dicerent, hoc ipso plures Deos inducerent, negabant filii vel consubstantialitatem atque aeternitatem, vel ὑποστασιν a patre distinctam. Lege Origenem (1). Ioannes, hos refutare aggrediens, ipsos horum magistros Neoplatonicos initio impetit, quod apparet vel ex ipsa usurpatione nominis λογος; quorsum enim hoc potius, a nemine e Novi Testamenti scriptoribus adhibitum minusque perspicuum, quam nomen *filium* usurpasset? Quum ergo hi generationem divinam non omnino infitiarentur, non erat cur Ioannes, qui quae maxime necesse erat, perstringebat, divinae generationis mentionem faceret. Ita Basilius (2) quoque sensit scribens contra Eunomianos, videlicet ideo Ioannem Verbi aeternitatem affirmasse ut eos refelleret qui hanc negabant eo quod Verbum sit genitum; pari ergo de caussa et Verbi ὑποστασιν et cum patre ὁμοουσιοτητα ille affirmasse dicendus est, ut, inquam, refelleret eos qui haec negabant eo quod Verbum a patre genitum aliquomodo crederent, ea generatione quam ipsi comminiscebantur, illos, inquam, quos Origenes carpit. Ceterum, si qui Verbum a patre genitum negabant, quum non alia ipsis caussa esset negandi, nisi quia vel aeternitatem, vel ὑποστασιν, vel ὁμοουσιοτητα Verbi non acciperent, triplici hoc errore refutato, et illud concideret necesse erat quod ex his erroribus inferebatur.

v. 3. A Verbo ad Verbi opera transitur. Ac primo ad opera naturalia, refelliturque utrumque φιλοσοφημα, tum δια ἀποῤῥοιας, tum δια συνδυασμου mundum conditum aientium. *Omnia*, inquit, *per ipsum facta sunt;* qua de caussa *Dei manus* a patribus (3) Verbum appellatur. Tullius: *Ab his (diis) et a principio omnia facta et constituta sunt* (4). Rei confirmandae gratia subiungit, conversa affirmatione in negationem: *et sine ipso factum est nihil.* Addit *quod factum est*, ut nos doceat primo quatenus propositio pateat, secundo quid aliud esse quod factum non sit, quodque propositio non comprehendit. Lege

(1) In h. l.
(2) L. c. 2.
(3) *Iren.* Haer. III. 21 etc.
(4) Nat. Deor. I. 1.

Chrysostomum. Ex his quoque facile est efficere Verbum factum non esse, atque aeternum esse, quum, quidquid principium habet, factum sit.

De vv. 3. 4 interpungendis. Primo graeci codices plerique omnes et latini minus vetusti, item patrum praesertim graecorum pars, ita habent: *et sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat.* Secundo omnes scriptores primorum trium saeculorum, ac ceterorum pars longe maxima, codices item latini vetustissimi, et quidam e graecis vetustioribus haec verba interpuncta exhibent alterutra ratione, vel: *Et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat,* vel: *Et sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso, vita erat.* Biblia vulgata Xysti V an. 1590: *Et sine ipso factum est nihil: Quod factum est in ipso vita erat.* Biblia Clementis VIII ann. 1592, 1593, 1598: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat.* Chrysostomus acriter primam interpunctionem defendit, alteram vero haereticam dicit sensuque omni destitutam. Sed nimis severe nec vere, quum et primis tribus saeculis ea obtinuerit, et praeclarum sensum exhibeat, eiusque constructio ea sit quae alias quoque est in scriptis Ioannis, ut pronomine relativo initium fiat (1), sicque ordinanda: *In ipso, quod factum est, vita erat.* Lege Cyrillum.

vv. 4. 5. Deinde ad opera gratiae Ioannes transit. Nomina *vita, lux, tenebrae* sibi invicem lumen adhibent, praesertim si comparentur cum aliis Ioannis sententiis, atque adeo cum aliorum scriptorum θεοπνεύστων maxime vero Pauli.

E comparatis locis Ioannis apparet *lucem* esse, quam Verbum doctrina sua mentibus hominum affudit, lumen inquam fidei cum caritate coniunctae, id est, quae *per charitatem operatur* (2); *tenebras* huius luminis defectum, ita tamen ut hae illi oppositae sint non *privative* sed *contrarie*, nam, si secus foret, non possent dici *lux in tenebris lucere, et tenebrae eam non comprehendisse* (3). — Primo, quod *lux* non sit ipsa fides

(1) Conf. Io. 1, 45; I Io. 1, 1.
(2) Gal. V, 6.
(3) Io. 1, 5.

sed lumen fidei, apparet ex Io. XII, 35. 36. Secundo, quod non sit lumen fidei simpliciter, sed fidei *per charitatem operantis,* apparet ex Io. VIII, 12; lumine enim fidei perfunduntur etiam qui Christum non sequuntur, id est, qui non amant, qui male operantur. Obiicies verba mox sequentia: *sed habebit lumen vitae.* Sed *lumen vitae* est effectus, *lumen fidei* est caussa, hoc tempore praesenti *ambulat,* illud futuro *habebit* enuntiatur. Item ex Io. III, 18. 19, ut postrema ratio evincit: *erant enim eorum mala opera.* Obiicies sensum esse ideo homines credere noluisse, quia amabant male agere. Lege ergo haec, quae statim sequuntur: *Omnis enim, qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem* (1), ut unum atque idem sit male agere et lucem odisse, bene agere et venire ad lucem. — Quod autem *tenebrae* non fidei defectum simpliciter, sed fidei per caritatem operantis, significent, tum ex propositis iam apparet, tum ex aliis. Nam, si secus esset, quae leguntur in Io. XII, 46 idem valerent ac, *qui credit in me, credat in me.* In I Io. I, 6 ii, quos Ioannes alloquitur, certe iam credebant, quod apparet porro e primis verbis. Totam rem plene ea confirmant quae leguntur in Io. II, 8-11. — Denique *vita* est id quod illa ipsa fides nobis praestat, vitam inquam vel gratiae, vel gloriae, vel utramque. Io. I, 4; III, 15. 16. 36; V, 24; VI, 40. 47; VIII, 12; XI, 25; XII, 50 coll. 49; XVII, 3; I Io. V, 10. 11. 13.

Attamen per metonymiam Christus *lux* vel *vita,* homines autem illa fide destituti *tenebrae* vocantur subinde; sicubi vero ipsa fides *lux* vocatur, est item metonymia, usurpatio inquam caussae pro effectu. Paulus *lucem* et *tenebras* vocavit homines illa fide praeditos et destitutos (2).

In ipso vita erat. Verbum est caussa vitae cuiuscumque, sed praesertim tum gratiae tum gloriae. — *Et vita erat lux hominum.* Solum lumen fidei, *quae per charitatem operatur,* eam vitam nobis parit; *quia iustus ex fide vivit* (3). Apte Chri-

(1) Io. III, 20. 21.
(2) Eph. V, 8.
(3) Gal. III, 11.

stus quoque hanc lucem *vitam* vocavit (1). Ergo haec quoque enuntiatio inversa est pro *et lux hominum erat vita;* ita Cyrillus. Ioannes dicit quid *lux hominum* sit, non quid *vita,* illudque est subiectum, hoc praedicatum, sicut intelligit qui bene tenet tum notionem subiecti, tum notionem praedicati in propositionibus aientibus. Dices fortasse significationem nominis *vitae* definitam iam esse, eo quod hoc nomen sit in praedicato superioris enuntiationis *In ipso vita erat.* Respondeo in superiore enuntiatione nomini *vitae,* utpote quae sit in Verbo ut in caussa vitae, subesse universalem sensum, vel certe vitae tum gratiae tum gloriae. Adde quod, si *vita* in verbis *et vita erat lux hominum* esset etiam vita gloriae, falsa esset enuntiatio. Vocabulum autem *lux hominum* determinatur tum iis quae sequuntur, tum ipso apposito *hominum.* — *Et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.* In his *tenebrae* metonymice sunt homines sine fide, et quidem *reduplicative* et sensu composito; quod confirmant voces *non comprehenderunt.* Sequitur *lucem, lumen,* φῶς metonymicas esse, et ipsum Verbum his designari; tum constat ita esse etiam in illis *non erat ille lux,* et in sequentibus, quae illis opponuntur, *erat lux vera.* Conferantur quae de gratia et veritate deque institia et fide Paulus scripsit ad Romanos et ad Galatas.

vv. 6-8. Considera ut Ioannes, post tradita ea quae de Verbo divino scire oportet, statim illos impetat qui Ioannem Baptistam pluris faciebant quam Christum.

vv. 9. 10. *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Haec *lux* est ipsum Verbum; mox enim huius *lucis* gesta enumerantur, hoc est gesta ipsius Verbi. Pro *venientem* graece est ἐρχόμενον, quod potest pertinere vel ad *hominem* vel ad *Verbum.*

Mundus in v. 9 est orbis terrarum. Sed in v. 10 et alibi sunt homines mali, qui Christo adversantur sive ex defectu fidei sive vitio voluntatis. Confer 1 Io. II, 16. Lege Chrysostomum et Augustinum (2).

(1) Io. XVII, 3. Conf. XI, 25.
(2) In Ps. LIV, 4.

Plurima, quae Ioannes de mundo docuit, tradidi ex ordine in Libro III de Evangeliis Diss. VIII. n. 28.

v. 11. *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Nomen *propria* ἴδια Iudaeorum gentem vel regionem designat, nomen *sui* ἴδιοι ipsos Iudaeos. Confer Io. XIX, 27. Nam primo Deus hos elegerat sibi *in populum* PECVLIAREM (1). Deinde, si οἱ ἴδιοι essent homines in universum, falsa esset propositio, ut apparet ex v. 12; si homines mali, non recte dicerentur ἴδιοι, et ταυτολογια esset. Tum, quod affirmamus, oppositio confirmat eorum quae sequuntur, quibus ad illos, *qui receperunt eum* et *credunt in nomine eius*, dicitur translatum quod Iudaeorum ad id proprium fuerat, idque multo excellentiore modo vv. 11. 12. 13. Denique et Iudaeorum error una cum erroribus ceterorum attingendus erat; neque ad hunc pertinere poterat propositio *Verbum caro factum est,* quae latius omnino patet longiusque spectat quam ad unos Iudaeos refellendos, est enim summa totius doctrinae de Verbo, et totius libri subiectum. Lege Cyrillum et Chrysostomum.

Compara vv. 5. 10. 11. Commemoratione intra paucos versus ter repetita ingrati hominum animi erga divini Verbi beneficia discipulus proditur Christi amantissimus hac re, ut ita dicam, discruciatus.

vv. 12. 13. Lege Cyrillum. Haec illustrantur oppositione v. 11. Iudaei Christum non receperant; in eos ergo, qui *receperunt eum,* quippe *qui credant in nomine eius,* divinam υἱοτητα Iudaeis ademptam Christus transtulit, sed longe sublimiore ratione, *nativitate* inquam *ex Deo.* — Quid sit *nasci ex Deo,* disces a Ioanne I Io. II, 29; III, 9. 10 coll. 8; IV, 7; V, 1. 4. 18.

v. 14. *Et Verbum caro factum est.* Lege Chrysostomum. *Caro* in hoc loco sonat hominem, ut Io. XVII, 2. Confer Deut. V, 26; Iudith VII, 16; Ps. LV, 5; LXIV, 3; Eccli. I, 10; Is. XL, 5. 6; Ier. XXV, 31; Ezech. XX, 48; etc. etc.; Matth. XXIV, 22; Marc. XIII, 20; Luc. III, 6; Act. II, 17; Rom. III, 20; etc. etc. Lege Cyrillum. Ideo *caro* potius quam *homo,* ut im-

(1) Deut. XIV, 2.

petatur error Docetarum negantium *Iesum Christum in carne venisse* (1). Aliam caussam leges apud Cyrillum.

Et habitavit in nobis. Graece ἐσκήνωσεν. Cur haec metaphora, potius quam proprium verbum οἰκεῖν, adhibita? Chrysostomus et Cyrillus id docent.

Dictis testes adhibet primo se v. 14, tum Baptistam v. 15, denique ipsum Verbum v. 18. Voces *et vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a patre* sunt παρενθετοι. His verbis Ioannes testem sese profitetur oculatum gloriae Verbi incarnati, occupatque id, quod quis obiicere poterat: Dicis Verbum habitasse in nobis. At qui scis hunc esse Iesum, qui homo ut ceteri videbatur? Spectat ergo ad Christi transfigurationem et adscensum in caelum; id quod confirmatur verbo ἐθεασάμεθα, quod est *spectare, contemplari,* atque adeo *cum voluptate* et *admiratione.*

Quasi unigeniti. Graecum ὡς vel significat visam a Ioanne speciem sive imaginem gloriae ipsius Verbi, non ipsam gloriam, quae oculis mortalibus conspici nequit, vel valet idem ac *utpote.* Ita Chrysostomus et Cyrillus. Chrysostomi explicationem Hesychius confirmat docens ὡς idem valere ac ἀληθῶς, ὄντως

A patre παρα πατρος. Iungi possunt nomini vel μονογενους vel δοξαν. Si primum, quum verbum γεννασθαι, implicitum in nomine μονογενους, numquam construatur cum praepositione παρα, syntaxis elliptica erit, sensusque: *unigeniti qui est a patre,* sicut in Io. VI, 46; VII, 29; IX, 16. 33; XVII, 7; II Io. 3. Si alterum, sensus erit: *gloriam quasi unigeniti, quam accepit a patre,* ut in Io. V, 41. 44, itemque in II Petr. I, 17, vel omisso verbo, sicut in hoc loco, in Io. V, 44. Confer Act. XXVI, 12. 22; Rom. XI, 27; II Thess. III, 8; II Tim. I, 18. Alterum praestat, utpote pleniorem sensum exhibens. Nam in voce *unigeniti* notio *patris* implicita iam est, et voces *a patre,* etiam si iungantur nomini *gloriam,* non alium patrem significant quam ipsius unigeniti. Sed imo hae voces iunctae nomini *gloriam,* salva illa sententia, aliam praeterea efficient, nimirum *gloriam* hanc illam esse quam Verbum a patre sibi,

(1) I Io. IV, 2. 3.

utpote unigenito, atque adeo quanta ipsi patri est, communicatam accepit.

Plenum gratiae et veritatis. Vox *plenum* potius active quam passive accipienda est, idque confirmatur vv. 16. 17; nimirum *habitavit in nobis plenum gratiae et veritatis* ut nos *de plenitudine eius omnes* acciperemus. Cyrillus docet *gratiae et veritatis* dici καθ' ἐν δια δυοιν pro *gratiae perfectae et verae.* Melius ac verius fortasse dictum credes pro gratia certo ac fideliter praestanda. Ceterum puto *gratiam et veritatem* proprie vocari quae superius *vita et lux* translate vocantur, quaeque a Paulo *iustitia et fides* item proprie; quod comprobat oppositio cum *lege Moysis* v. 17, cui legi Paulus quoque tum *gratiam et veritatem* tum *iustitiam et fidem* opponit quam saepissime in epistolis, praesertim ad Romanos et ad Galatas scriptis.

v. 15. Testis superius v. 6 nominati verba afferuntur, ut evangelista testimonium Baptistae suo ipsius testimonio addat; sunt enim quasi παρενθετα, quum versus 16 manifesto coniungatur versui 14. Sensus ergo Baptistae est, *Verbum,* quod *caro factum est, et habitavit in nobis,* esse illud quod *in principio erat.* Certe ἐμπροσθεν numquam de dignitate vel auctoritate, sed vel de loco vel de tempore dicitur; in scripturis plerumque de tempore. In hoc loco manifestum est dictum non esse de loco; ergo de tempore; quod efficitur etiam ex opposita voce ὀπισω, quae item tempus hic significat. Item dicendum de illo πρωτος, quod latine versum est *prior,* rationemque continet illius ἐμπροσθεν, et alias quoque a Ioanne de tempore dicitur I, 41; V, 4; VIII, 7; XX, 4. 8; I Io. IV, 19. Confer Io. XV, 18. Sane frigide et ταυτολογως ambae voces ἐμπροσθεν et πρωτος dignitatem vel auctoritatem sonarent. — Pro *factus est* graece est γεγονεν, quod etiam *natus est* verti potest. — Testimonii vim senties si memineris Christum natum esse sex mensibus post Ioannem. — Animadverte connexum inverti posse nullo veritatis reique, quae affirmatur, dispendio aut detrimento. — Ceterum de hoc deque ceteris testimoniis, quae Baptista Christo dedit, paullo inferius dicemus.

vv. 16. 17. 18. Verba sunt evangelistae. Baptista enim dicere non potuit *accepimus*, neque *Iesum Christum* vocasset

cum de quo loquebatur quique numquam, in terris dum vixit, ab alio quoquam ita vocatus est, neque Baptistae *ipse enarravit* quae hic leguntur, sed evangelistae. Lege Chrysostomum et Cyrillum. — Quid sit *plenitudo* intelliges ex v. 14, quocum v. 16 iungendus; hic effectus est, illic caussa. — *Gratiam pro gratia* graece χαριν ἀντι χαριτος, quod quidam intelligunt ac si italice diceremus *grazie sopra grazie*. Sed verius Chrysostomus et Cyrillus explicant gratiam novae legis pro gratia veteris legis; non autem quasi χαρις unquam significet *legem*, frustraque huic interpretationi opponitur quod χαρις nequeat significare *legem*. Ratio autem, cur altera interpretatio praeferenda, illa ipsa est propter quam quidam primam praeferunt, quod, inquam, χαρις in versu sequente 17 τῳ νομῳ *legi* simpliciter opponatur. Etenim v. 17 est brevis explicatio dictionis *gratiam pro gratia*, ut docent tum constructio, tum series orationis, tum verba *gratia et veritas* testantia agi adhuc de illa *plenitudine* de qua *accepimus gratiam pro gratia*, tum denique illud quod, si secus esset, mera haec, quae foret, gratiae et legis comparatio non in loco esse videretur. Si ergo in v. 17 redditur ratio dictorum in v. 16, haec autem ratio est praestantia gratiae a Christo nobis collatae supra legem a Moyse traditam orta ex ipsa Christi prae Moyse excellentia, necesse simul est *gratiam pro gratia* significare *gratiam novae legis pro gratia veteris legis*.

De v. 18 duo quaeruntur. Primum quorsum illa: *Deum nemo vidit umquam*. Chrysostomus censet haec spectare ad demonstrandam Christi, qui utique vere Deum videt, excellentiam supra Moysen, qui nisi in speciem Deum non vidit, sed nec videre potuit. Cyrillus putat Ioannem occurrere obiicientibus illud, quod gloriam Christi demonstret ex eius excellentia supra Baptistam et Moysen, non autem ex declaratione ipsius gloriae, quam aiebat se vidisse; respondere autem, demonstrandam esse gloriam Christi, non ex conspectu ipsius rei, sed ex eminentia qua cuncta superat. Alterum quid illud, quod *unigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarravit*. Cyrillus putat esse illud, quod *Deum nemo vidit umquam*. Item Chrysostomus sensisse videretur, prout Montfauconius huius verba

reddidit; ast is non animadvertit verba Chrysostomi *Quod Deum nemo vidit unquam? Quod unus est Deus?* proferenda esse interrogando; quare in translatione facta a Montfauconio nullus est sensus. Chrysostomus certe concludit Vnigenitum narrasse omnia quae superius de ipso dicta sunt. Mihi huius versus sententia haec esse videtur: Quae dixi, non ego vidi, nam *Deum nemo vidit umquam,* sed *unigenitus filius,* qui haec non modo videt, sed penitus cognoscit atque intelligit, utpote *qui* sit *in sinu patris, ipse enarravit.* Ita ut Ioannes, quaecumque de Verbo exposuerat, suoque ac Baptistae testimonio confirmaverat, tandem concludat testimonio ipsius Verbi confirmans. — Nota generationem ἐμμενῆ, quadruplicemque rationem quae testimonio Verbi fidem omnem conciliat, quod sit *filius, genitus, unigenitus, in sinu patris.*

Hactenus quae disputavimus in opere de Evangeliis L. II. Diss. VIII.

Octo testimonia a Baptista Christo data leguntur in evangeliis. Primum afferunt primi tres evangelistae, non autem Ioannes, cetera Ioannes, sed nemo illorum trium. Primum est in Matth. III, 11. 12; Marc. I, 6-8; Luc. III, 15-17. Secundum in Io. I, 15. Tertium in Io. I, 19-23. Quartum in Io. I, 24-27. Quintum in Io. I, 29-31. Sextum in Io. I, 32-34. Septimum in Io. I, 35. 36. Octavum in Io. III, 23-31. Ex his primum, utque videtur, tertium quoque et quartum non sunt aliqua enuntiatio semel prolata, sed summa eorum quae Ioannes de Christo interrogantibus respondebat. Hoc fuisse praecipuum munus Baptistae, ut de Christo testaretur, discimus ex vv. 6. 7. — Primum testimonium dixit ante Christi baptismum, cetera post. Alterum testimonium, quod in evangelio Ioannis primum est, dixit post baptismum, Christo praesente, quod apparet ex pronomine οὗτος, sicut et quintum; nam, quum Christus aberat, Baptista usus est pronomine αὐτος, ut in quarto testimonio. Christum autem praesentem non ante populo indicare potuit quam vidisset *spiritum descendentem et manentem super eum,* ut discimus ex v. 33; hoc autem accidit post baptismun (1). Dictum hoc alterum testimonium esse statim post

(1) Matth. III, 14. 15.

baptismum coniicimus ex eo, quod neutrum veri simile videatur, nec Baptistam post acceptum illud signum, hoc est post visum Spiritum sanctum descendentem super Iesum, suo munere fungi distulisse, nec evangelistam hoc Baptistae testimonium ea occasione datum referre omisisse, contra ac propositum suum exigeret. Adde quod, quum hoc alterum testimonium dictum sit Christo praesente, nisi statim post baptismum dictum fuisset, dici non potuisset nisi post quadraginta dies, quum Iesus denuo ad Baptistam redivit post ieiunium; *statim* enim post baptisma secessit in deserta (1). Baptista munere suo fungi coepit non ante medium mensem septembrem an. aer. vulg. 25 (2). Christus ab eo tinctus est intra medium mensem octobrem mediumque decembrem (3). Legatio, de qua in vv. 19. 24, missa est post Christi baptismum, quod colligimus ex v. 26. Veri simile non est synedrium, post acceptam notitiam de Baptista, diu distulisse hanc legationem mittere. Missa ergo est paullo post Christi baptismum, quum is in desertis moraretur. Quare compertum est quando Baptista tertium et quartum testimonium Christo dederit. Quartum tamen non ante quadragesimum postremumque diem quo Christus mansit in desertis, nam quintum datum est *postridie*, quum *vidit Ioannes Iesum venientem ad se* (4), ergo quum is e desertis recesserat. Sextum datum est eodem die quo quintum; nam septimum datum est *tertio* die (5), Christo praesente. Octavum denique testimonium datum Christo a Ioanne est aliquo tempore post pascha anni aer. vulg. 26, sed ante mensem decembrem (6).

vv. 19 - 23. Tertium testimonium Christo datum a Baptista. *Propheta* ὁ προφήτης *(il profeta)* non alius quam Messias est. Primo non alius propheta exspectabatur. Secundo Messiam, quem exspectabant, Iudaei hac appellatione de-

(1) Marc. I, 12.
(2) *Patrit.* De Evangel. L. III. Diss. XLIII. nn. 2-8.
(3) Ib. Diss. XLVII. nn. 4-11.
(4) Io. I, 29.
(5) Ib. 35.
(6) *Patrit.* De Evangel. L. III. Diss. XLIII. nn. 9-11.

signabant Io. VI, 14. Tertio articulus rem confirmat. Quarto Ioannes Baptista propheta certe fuit (1), deque ipso ut de propheta pater eius Zacharias vaticinatus est (2); quum ergo negando responderit interrogantibus an ipse esset ὁ προφητης, sequitur ut ὁ προφητης non esset unus de prophetis, sed omnium excellentissimus, Christus inquam, quem Moyses hac ipsa appellatione signaverat (3); scilicet Baptista προφητης μεν... ἠν, ὁ προφητης δε οὐκ ἠν, ut Isidorus Pelusiotes haec explicavit post Origenem, Eusebium, et Chrysostomum. At enim iam antea Baptistam illi interrogaverant an ipse esset Christus, hac ipsa *Christi* appellatione adhibita. Verum neque id illos interrogasse legimus, neque id interrogantibus Baptistam respondisse, sed ὁμολογησαι *confessum esse* se non esse Christum. Alias (4) alia responsa dedimus huic argumento, quibus illud quoque huius simile refellitur quod petitur ex v. 25. — De Isaiae vaticinio, quod Baptista allegavit in v. 23, disputavimus in opere de Evangeliis L. III. Diss. XLV. — Hoc testimonio Baptista professus est munus suum fuisse viam Christo praeparare. — Animadvertere oportet ut Baptista de Christi divinitate testatus sit. Aiebat enim sibi demandatum esse id curare, ut pararetur via Domini, Dei videlicet, nomen enim יהוה est in Isaiae vaticinio; at e vv. 15. 27. 30 apparet eum, cui Ioannes viam parari suadebat, esse Christum, quippe quem designet his verbis: *Qui post me venturus est, Post me venit.* Notanda quoque suspicio ne forte Baptista esset Elias; scilicet putasse Iudaeos Eliam adventurum ante Messiam (5); dicendi ergo sunt per illud tempus Christum exspectasse, certe non alia de caussa nisi quia praedictiones de Christi adventu in illud tempus congruerent. Hanc ipsam exspectationem ea produnt quae narrantur in Matth. II, 2 seqq.

vv. 24-27. Quartum testimonium. Notatio sectae Pharisaeorum, ex qua erant qui Baptistam interrogabant, ideo

(1) Matth. XI, 9.
(2) Luc. I, 76.
(3) *Patrit.* De interpret. scripturar. sacr. L. II. q. VIII.
(4) Ib. n. 29.
(5) Matth. XVII, 10.

fit, ut interrogationis, quae sequitur, ratio intelligatur; horum enim *πατροπαραδοσις* erat non ab aliis talem baptismum, qualem Baptista administrabat, nisi ab Elia aut a Christo posse administrari.—*Propheta ὁ προφητης (il profeta)*; confer. v. 21.— *Factus est γεγονεν*, pro quo etiam *natus est* reddi potest. Baptista iterum Christum natum ante ipsum affirmat; confer v. 15; pleniusque profitetur se Christo longe inferiorem. Nota hebraismum *cuius . . . eius σοῦ . . . αὐτου*.

v. 28. Bethaniam locum esse, in quo Ioannes baptismum administrare coepit, colligimus e comparatis Io. III, 23. 26 et X, 40 cum hoc v. 28. Haec Bethania alia est oppido eiusdem nominis, in quo Lazarus huiusque sorores degebant. Lege Matth. XXI, 17. 18; Marc. XI, 1. 11; Luc. XIX, 29; Io. XI, 18. Proxima erat Iordani Matth. III, 6; Marc. I, 5, in ea regione quae est inter duos lacus Luc. III, 3 (1). Eius nulla alia mentio in bibliis. In graecis exemplaribus bene multis vocatur Bethabara. Vtriusque nominis eadem fere est significatio, nam אניה est *navis*, עברה *navicula ad traiiciendum*. Quae *συνωνυμια* caussam aperit cur primo quoque tempore post editum evangelium alii codices primum alii alterum nomen haberent. Nimirum utrumvis nomen pro lubitu usurpabatur ad illum locum designandum ad ripas Iordanis situm qua viatores navicula flumen traiiciebant. Fuisse autem hunc illum traiectum omnium praecipuum, sex millibus ab Iericho distantem, qua primo Israelitae flumen transmisere Iosue duce, multae rationes credere suadent. Ceterum de hac Bethania fusius alibi disputavimus (2), ibidemque composuimus quae in Ioannis inque Matthaei narratione de loco, ubi Baptista munere suo functus est, opposita esse in speciem videntur (3).

vv. 29-31. Quintum Baptistae de Christo testimonium, quo et de Christi adventu et de baptismo, quem ipse administrabat, rationem reddit, ac de Christi prae ipso excellentia quarto testatur. Datum est *postridie* eius diei quo quar-

(1) *Patrit.* De Evangel. L. III. Diss. XLIII. n. 23.
(2) Ib. nn. 28 seqq.
(3) Ib. n. 38.

tum datum fuerat, Christo praesente, proptereaque non ante quam is e desertis reversus esset. — Quomodo Baptistae verba, quae sunt in v. 29, intelligi debeant, diximus in alio loco (1). — *Et ego nesciebam eum*, graeca sunt οὐκ ᾔδειν *non videram*, id est, quum primum testimonium, cuius proxime meminit, Christo dedit, ante quam is ad baptismum accederet, nondum ipse hunc viderat.

vv. 32 - 34. Sextum Baptistae testimonium. E comparatis vv. 29 et 35 efficitur hoc sextum testimonium dictum eodem die quo quintum. Imo veri simile est dictum fuisse statim post quintum, ab hoc tamen secernendum, ut ipse evangelista fecit, alia enim est huius materies. Nam Baptista his nos docet quomodo Christum agnoverit, testaturque hunc esse Filium Dei. — Ex v. 33 videtur colligi Christum a Baptista non agnitum nisi postquam ille baptismo ablutus est, contrarium autem ex Matth. III, 13-15 certo efficitur; qua difficultate graviter se commoveri Augustinus profitetur. Hanc Toletus satis diluit. Itaque primo animadverte illud *nesciebam* solum significare Christum nondum Ioanni de facie notum fuisse, quod apparet ex graeco οὐκ ᾔδειν *non videram*, sicut et in v. 31. Deinde attende ut particula *sed* non necessario intelligenda ita sit, ac si, quae sequuntur, indicium proderent Baptistae a Deo datum, ex quo Christum agnosceret; nam et in v. 31 haec eadem particula est, at certe eum sensum *adversativum* non habet. Sequitur ut Ioannes non id dicat, quod prima specie dicere videtur, neque adversetur Matthaeo. Quid ergo ille dicere vult? Illud *nesciebam* sive *non videram* in v. 31 spectat ad verba proxime praecedentia, sensusque ibi est Baptistam Christo illud primum testimonium, quod commemorat in v. 30, dedisse antequam is veniret ad ipsum et ipse eum videret. Huc item spectat verbum *nesciebam* in v. 33. Quare Baptista significat se primo de Christo testimonium perhibuisse quum nondum hunc viderat. Indicium vero sibi a Deo promissum non signum δεικτικὸν erat ad Christum agnoscendum, sed πειθανὸν, quo accepto mox de Christo testimonium

(1) De interpret. script. L. I. n. 201.

perhiberet huncque praesentem populo circumstanti ostenderet; edicitque Baptista his verbis, non modum quo Christus agnovit, sed caussam et rationem cur Christo praesenti mox a baptismo testimonium dederit, illud scilicet testimonium quod est in v. 15. Quam nostram interpretationem comprobant tum illa quae Baptista statim subiunxit in v. 34, tum illa quoque fortasse quae antea leguntur in v. 32: *Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens:* QVIA *vidi et cetera.* De verbis ὡσεὶ περιστερὰν diximus in opere de Evangeliis L. III. Diss. XLVII. n. 19, de baptismo in Spiritu sancto ibidem Diss. XLIII. nn. 94 seqq. — Nota discrimen utriusque baptismi, quem Ioannes quemque Christus instituerunt, ab ipso Baptista nobis expositum in v. 33 coll. 26. 31. — Item ut idem hic testatus sit in v. 34 Iesum esse filium Dei; graeca autem sunt ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, in quibus quid articulus valeat, nemo non sentit.

vv. 35. 36. Septimum testimonium Christo datum a Baptista postridie eius diei quo quintum et sextum. Christus etiamtum morabatur in regione trans Iordanem prope Bethaniam sive Bethabaram.

v. 39. Hora diei decima Iudaeis aeque ac Romanis erat tertia ante solis occasum seu quarta post meridiem. Quum hae horae essent temporales, hoc est longiores vel breviores pro anni temporibus, quumque tunc hiems esset, concludendum est id, quod narratur, accidisse medio tempore inter meridiem et occasum, quum in Iudaea esset media hora tertia a meridie.

v. 41. Hoc factum videtur non eodem die ac quae sunt in vv. 35-39; nam haec acciderant die iam inclinato, et Andreas manserat apud Christum.

v. 42. *Iona* contractum est ex *Ioanne.* Confer Io. XXI, 15. 16. 17. Etsi Petrus, ex quo ad Iesum adductus a fratre est, illum sequutus sit, ut certo constat (1), quum tamen ipse tunc venerit ad Iesum, non vero ipsum Iesus vocaverit, Petri vocatio haberi solet illa quae narratur in Matth. IV, 18-20 et in Marc. I, 16-18.

v. 43. *In crastinum* graece hic quoque, sicut in vv. 29

(1) Conf. Io. II, 2 etc.

et 35, est τῇ ἐπαύριον *postridie*. Dictum autem est respectu eius quod proxime narratum est; hoc est, Iesus abiit in Galilaeam postridie eius diei quo Andreas ad eum duxerat Petrum fratrem. Verius esse videtur Philippum a Christo vocatum post, quam ante huius adventum in Galilaeam; quorsum enim huius regionis mentio ante illius rei narrationem, nisi ut sciremus eam rem factam illic esse? quod Bethsaidae commemoratio confirmat. Confer Io. XII, 21. — Iam pridem Iudaei graecis nominibus uti coeperant.

v. 44. De Bethsaida disputatum habemus in opere de Evangeliis L. II. Annot. LXXIII. LXXVIII; L. III. Diss. XLI. n. 3; Diss. XLII. n. 7.

v. 45. Quinam iste Nathanael, qui nusquam comparet nisi in primo et in postremo capite huius evangelii? Apostoli, quorum nomina non leguntur in hoc evangelio, sunt Ioannes et Iacobus fratres filii Zebedaei, Iacobus filius Alphaei, Bartholomaeus, Matthaeus, Simon Zelotes. Nathanaelem non esse unum e filiis Zebedaei, praeter alias rationes, vel hac una efficitur, quod in Io. XXI, 2 illis duobus distinguitur. Iacobus, Alphaei filius, notissimus erat hoc nomine in primitiva ecclesia; cur ergo Ioannes nomine minus noto Nathanaele eum signasset? Sed neque idem ac Matthaeus Nathanael est; quod historia ipsa de Matthaeo nos docet. Superest ut Nathanael idem sit ac Bartholomaeus vel Simon Zelotes. Verum animadverte *Bartholomaeum*, (non *Barptolemaeum*, sicut insciti *graecissatores* scribere amant), idem sonare ac *filium Tholomaei*, atque esse quasi cognomen quod, sicut Graeci, ita et Hebraei a patre deducebant, ut sunt *Simon Bariona*, *Ioseph Barsaba*, *Ioseph Barnaba*, et similia horum. Si Nathanael idem esset ac Simon, is quidem duo nomina habuisset, quod utique subinde fiebat, imo tria, nam et Cananaeus seu, quod verius est, Cannaeus, hoc est Zelotes, vocabatur, sed Bartholomaei proprium nomen ignoraretur. Vix ergo dubitandum *Nathanaelem* eumdem esse ac *Bartholomaeum*. Erat is piscator sicut plerique apostolorum (1).

(1) Io. XXI, 2.

v. 49. Graece est ὁ υἱος του θεου *(il figlio di Dio)*. Nota articulum, itemque in illis ὁ βασιλευς του Ἰσραηλ *(il re d' Israele)*. Quae appellationes Messiam certe designant. Porro videmus quomodo Iudaei crederent Messiam Dei filium futurum.

v. 51. *Amen, amen dico vobis,* affirmationis formula in hoc solo evangelio et frequenter quidem usurpata. — De appellatione *filio hominis*, qua Christus sese designare quam frequentissime solebat, hanc rationem Augustinus reddidit: *Commendat nobis quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis, et, velut mysterium commendans admirabilis incarnationis suae, nomen hoc saepius auribus nostris insinuat* (1). Nemo non videt hanc appellationem non ita fieri Christo sicut subinde aliis quibusdam facta ea est, sed emphasin habere, quam facile sentias, ubi animadvertes ita sese Christum appellare alterutra semper occasione, plerumque quum divina vel, quae naturam hominis excedunt, sibi attribuit, alias quum de iis loquitur quae ipso indigna nobis vero salutaria vel perpetiebatur iam vel perpessurus erat. Sicubi vero (quod tamen vix semel (2), puto, accidet) non statim alterutra ratio pateat, legatur totus locus (3), et ea continuo patebit.

CAPVT II

1 Et die tertia nuptiae factae sunt in Cana Ga-
lilaeae: et erat mater Iesu ibi.
2 Vocatus est autem et Iesus, et discipuli eius
ad nuptias.
3 Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum:
Vinum non habent.

(1) De consensu evang. II. 1.
(2) Matth. XIII, 37.
(3) Conf. ib. 41.

4 Et dicit ei Iesus: Quid mihi, et tibi est mulier? nondum venit hora mea.

5 Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite.

6 Erant autem ibi lapideae hydriae sex positae secundum purificationem Iudaeorum, capientes singulae metretas binas vel ternas.

7 Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.

8 Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt.

9 Vt autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus,

10 et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: et cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.

11 Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae: et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius.

12 Post hoc descendit Capharnaum ipse, et mater eius, et fratres eius, et discipuli eius: et ibi manserunt non multis diebus.

13 Et prope erat Pascha Iudaeorum, et ascendit Iesus Ierosolymam:

14 et invenit in templo vendentes, boves, et oves, et columbas, et numularios sedentes.

15 Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis,

omnes eiecit de templo, oves quoque, et boves, et numulariorum effudit aes, et mensas subvertit.

16 Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, et nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.

17 Recordati sunt vero discipuli eius quia scriptum est: Zelus domus tuae comedit me.

18 Responderunt ergo Iudaei, et dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis quia haec facis?

19 Respondit Iesus, et dixit eis: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.

20 Dixerunt ergo Iudaei: Quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud?

21 Ille autem dicebat de templo corporis sui.

22 Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, et crediderunt scripturae, et sermoni, quem dixit Iesus.

23 Cum autem esset Ierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius, quae faciebat.

24 Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes,

25 et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.

COMMENTARIVM

v. 1. Quae in hoc loco narrantur, neque ante primos dies mensis decembris an. aer. vulg. 25 gesta sunt, ut apparet ex iis quae supra diximus, neque post primos dies mensis martii insequentis anni 26, sicut ex v. 13 et ex iis, quae dicemus de v. 23, apparebit. — Pedestre, quale Christus fecisse creditur, iter in Galilaeam a loco, ubi Baptista tunc morabatur, eo praesertim anni tempore, citius quam triduo confici commode haud poterat, neque Christum ipso die, quo illuc pervenerat, nuptiis accubuisse veri simile esse videtur; haec ergo *dies tertia* fuit vel ab eius adventu in Galilaeam, vel ex quo Philippum sibi adiunxerat. — Praeter illa, quae legimus in hoc loco et in Io. IV, 46-53, nihil de Cana certo compertum habemus quo eius situm magis definiamus.

v. 2. Iam ergo discipuli Christum sequebantur. Hi tunc quinque saltem erant, quot legimus in capite I.

vv. 4. 5. Duo solummodo de Maria Christi matre Ioannes narrat, non qualiacumque, sed quae apprime cuique suadeant ut spem suam omnem fiduciamque secundum Christum in sanctissima virgine securus ponat; idque ipsum efficere Ioannem, atque adeo unum Ioannem, ea narrando voluisse facile ille credet qui meminerit ut Ioanni discipulo a Christo cruci fixo iamque animam agente matris cura fuerit demandata, atque *ex illa hora* acceperit *eam discipulus in sua*. Primum duorum in hoc loco narratur; eoque docemur Deum, respectu virginis huius precum, ab omni aeternitate quaedam aliter fieri decrevisse ac fuisset decreturus si Virgo preces non interposuisset. — Non est dubitandum quin illud *Quid mihi et tibi?* increpationem aliquam querelae admixtam exhibeat; is enim est eius usus in Hebraeorum sermone (1). Sed aeque certo constat, idque e plerisque bibliorum locis disci-

(1) Conf. Ios. XXII, 24; Iudic. XI, 12; II Reg. XVI, 10; XIX, 23; IV Reg. III, 13; II Paral. XXXV, 21; Matth. VIII, 29; Marc. V, 7.

mus, iis verbis non necessario nec semper significari nullam alicui cum altero communionem esse, sed etiam significatur non oportere hunc illi de ea re, de qua agitur, negotium exhibere. Frustra itaque sunt qui ex his Christi verbis priorem illum sensum extorquere conantur, quum is nihil aliud significare voluerit, nisi se in iis exsequendis, quae pater ipsi demandaverat, et quorum unum erat initium facere miraculis patrandis, non a matris, nedum ab alius cuiusquam hominis, voluntate dependere. — Quibus appellatio quoque *mulier* quid durius sonare videtur, hi legant Io. XIX, 26, seque errore duci intelligent; tum mos est Orientalibus ita matrem compellare. — *Nondum venit hora mea,* tempus videlicet ab omni aeternitate constitutum quo meam divinitatem signis editis manifestam facere incipiam. — Mater, etsi repulsam tulisset, certa tamen nihil ipsi a filio negatum iri, velut si, quod petierat, exorasset, ita sese gessit; scilicet in eius gratiam Deus aliter decreverat ac decrevisset si ipsam non intercessuram esse praevidisset; ita ut eius voluntas, ut vocant, antecedens fuerit ut Christus nondum miracula faceret, voluntas vero consequens ut in matris gratiam iam faceret. Qui pie opinantur precibus Virginis redemptionis nostrae tempus anticipatum, habent in hac re quo sententiae suae pondus adiiciant.

v. 6. *Secundum purificationem,* qua Iudaei ante cibum uti solent. — Vna metreta apud Syros, si vera essent quae recens quidam scriptor nos docet, caperet sextarios CXX, qui sunt congii XX; quare una ex hydriis, de quibus est in hoc loco, cepisset congios LX (1); at quam grandi mole fuissent vasa illa lapidea! Rectius alii unam metretam aiunt constare e sextariis LXXII, qui sunt congii XII, ita ut illae hydriae singulae caperent congios XXXVI ut plurimum (2). — Nota dubiam narrandi rationem divinae inspirationi minime repugnantem, et lege nostram Commentationem de scripturis divinis § VI.

v. 11. Nota clausulam narrationis Ioanni usitatam ipsiusque consilio respondentem.

(1) *Barili* $3^1/_3$.
(2) *Barili* 2 *bocc.* $3^1/_2$.

v. 12. Capharnaum, quam Matthaeus (1) civitatem Christi appellat, quod in ea is plerumque degeret, sita erat ad lacum Tiberiadis in Galilaea. Habes qui te de ea plura doceant. — Christi fratres enumerantur a Matthaeo (2) et a Marco (3). Hos Iosephi ex prima uxore filios fuisse aliquot graeci patres scripsere, quod tamen Hieronymus neque audire sustinebat. Equidem crederem eos filios esse Clopae sive Alphaei, quem fratrem Iosephus habuit. Lege Lib. III de Evangeliis Diss. IX. c. III. n. 9; c. XX. n. 13. Ceterum notum est ab Hebraeis fratres dici consanguineos quoscumque.

v. 14. Boves, oves, columbae emebantur ad sacrificia. Numularii sedebant in templo ad pecuniarum permutationem. Iudaei quotannis dimidium sicli pendere debebant in usum sacrorum (4), hoc est διδραχμον (5), quae quarta pars est scutati romani, pendere autem solebant sub pascha. Quoniam vero aetate Christi necesse habebant uti pecunia quoque vel graeca vel romana, quam sacris impendere haud licebat, quippe effigiebus impressam deorum, hominum, animalium, ut pecuniam iudaicam hac commutare commodo suo possent, provisum est per illos numularios, non sine grandi horum lucro, qui ad id vicesimo die ante pascha ad mensas sedere incipiebant in templo. Ex quo colligimus id, quod in hoc loco narratur, accidisse non ante illum diem; imo non ante initum mensem nisan, ut apparet ex v. 20.

v. 16. Christus, quum iusta indignatione in illos mercatores negotiatoresque ageretur, obiterque Deum nominandum haberet, hunc, non Deum, neque patrem nostrum, nec patrem simpliciter, sed *patrem suum* appellavit. Id a nemine in bibliis factum unquam legimus, neque nos quid simile solemus. Quis enim, non cum ipso Deo agens, sed de Deo obiter loquens, cum *patrem suum* absolute ac simpliciter diceret?

v. 17. Nisi verba psalmi de Christo dicta essent (lite-

(1) Matth. IX, 1.
(2) Matth. XIII, 55.
(3) Marc. VI, 3.
(4) Conf. Ex. XXX, 13.
(5) Conf. Matth. XVII, 23.

rali ne sensu an spiritali, in praesenti non quaerimus), sensus foret discipulos animadvertisse zelum a Christo tunc exhibitum similem fuisse zelo psaltae; quae animadversio sane quam frigeret.

v. 19. *In tribus diebus* pro tertio die. Hebraei enim subinde usurpant nomen numerale cardinale, ut vocant, pro ordinali.

v. 20. Haec verba aliter intelligi nequeunt nisi ut dicta de tempore ex quo templum aedificari coeptum fuerat, regnante Herode, anno eius regni XVIII, qui annus incepit cum mense nisane anno periodi iulianae 4694. Habes in his notam certissimam temporis, quo ea, quae Ioannes narrat, gesta sunt, quodque fuit intra quatuordecim primos dies mensis nisanis an. p. i. 4739, aer. vulg. 26. Lege opus de Evangeliis L. III. Diss. XLVII. n. 6.

v. 22. Prophetiae non ante omni ex parte clarescunt, quam, quod praedictum est, impleatur. *Crediderunt scripturae*, non ut qui prius haud crederent, sed crediderunt ad Iesum spectare quae de eo in scripturis sacris praedicta leguntur, quum horum, aeque ac huius praedictionis quam Christus fecerat, implementum viderent. — Nota narrationis clausulam Ioanni usitatam, qualem ipsius propositum flagitabat.

v. 23. Rursus mentio multorum qui *crediderunt*. — Hoc anno plenilunium paschale fuit die 21 mensis martii.

v. 25. *Ipse enim sciebat quid esset in homine;* non ergo Christus simplex homo erat.

CAPVT III

1 Erat autem homo ex Pharisaeis, Nicodemus nomine, princeps Iudaeorum.

2 Hic venit ad Iesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister, nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.

3 Respondit Iesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.

4 Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suae iterato introire, et renasci?

5 Respondit Iesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

6 Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spiritu, spiritus est.

7 Non mireris quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuo.

8 Spiritus ubi vult spirat: et vocem eius audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu.

9 Respondit Nicodemus, et dixit ei: Quomodo possunt haec fieri?

10 Respondit Iesus, et dixit ei: Tu es magister in Israel, et haec ignoras?

11 Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis.

12 Si terrena dixi vobis, et non creditis: quomodo, si dixero vobis caelestia, credetis?

13 Et nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo.

14 Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis:

15 ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

16 Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

17 Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.

18 Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.

19 Hoc est autem iudicium: quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera.

20 Omnis enim, qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius.

21 qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.

22 Post haec venit Iesus, et discipuli eius in terram Iudaeam: et illic demorabatur cum eis, et baptizabat.

23 Erat autem et Ioannes baptizans in Aennon iuxta Salim: quia aquae multae erant illic, et veniebant, et baptizabantur.

24 Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem.

25 Facta est autem quaestio ex discipulis Ioannis cum Iudaeis de Purificatione.

26 Et venerunt ad Ioannem, et dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum.

27 Respondit Ioannes, et dixit: Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de caelo.

28 Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: Non sum ego Christus: sed quia missus sum ante illum.

29 Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.

30 Illum oportet crescere, me autem minui.

31 Qui desursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur. Qui de caelo venit, super omnes est.

32 Et quod vidit, et audivit, hoc testatur: et testimonium eius nemo accipit.

33 Qui accepit eius testimonium, signavit quia Deus verax est.

34 Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus spiritum.

35 Pater diligit Filium: et omnia dedit in manu eius.

36 Qui credit in Filium, habet vitam aeternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

COMMENTARIVM

v. 2. Nicodemus nondum didicerat Iesum esse *Christum filium Dei,* etsi prophetam propterea que *a Deo* missum crederet. Nihil interrogat, attamen desiderium discendi ostendit.

v. 3. Christus mira ratione, atque ita ut aliud quodque ex alio exoriatur, quatuor potissima in hoc sermone Nicodemum docuit, quae, inquam, credere oportet de nova spiritali natione, de ipso Christo, de huius opere ad quod perficiendum missus est, de damnatione eorum qui haec non credunt. Docendi initium facit, ut oportebat, a novae nationis necessitate, metaphora usus. — Hodierni Aristarchi, qui culpae vertunt interpreti vulgato illud *denuo* pro ἄνωθεν redditum, legant Gal. IV, 9. In graeca pagina est γεννηθῇ, quod, non *renatus,* sed *natus fuerit* significat; Nicodemus intellexit Christum loqui de iterata natione v. 4; necesse ergo est illud ἄνωθεν idem valeat ac *denuo.* Quod si ἄνωθεν in hoc loco idem esset ac *desursum,* non eo modo, quo fecit, Nicodemus respondisset. Chrysostomus utramvis interpretationem fieri sinit. — De *regni Dei* appellatione legi possunt quae disputavimus in Lib. III de Evangeliis Diss. XLVI. In hoc loco *regnum* est populus et ditio. — *Videre regnum Dei* liquet dictum esse pro *introire in regnum Dei* v. 5.

v. 5. Metaphoram Christus declarat, atque utrumque docet, baptismi inquam, per quem renascimur, tum visibilem formam vocibus *ex aqua,* tum invisibilem gratiam vocibus *Spiritu sancto.* Concilium Tridentinum de huius loci interpretatione pronuntiavit (1).

v. 6. Re in v. 5 explicata, Christus nunc Nicodemum docet quid peccaverit in prioribus ipsius Christi verbis intelligendis; videlicet cum existimasse agi de corporali natione, Christum vero de spiritali loquutum esse. Quum enim haec natio non ex carne fiat sed ex spiritu, liquet spiritum esse,

(1) Sess. VII de Bapt. can. 2.

non vero carnem, id quod ita nascitur; non ergo ad ita nascendum opus esse *in ventrem matris suae iterato introire,* ut Nicodemus dixerat.

v. 7. Quod quidem si fieri opus esset, si id Christi verba significarent, utique admirationi locus foret; secus vero quum Christus illud dicere voluerit quod modo explicavit. Christus, sicut apparet ex illis quae mox subiunget, loquitur de admiratione quae dubitationem parit; nam et natio haec spiritalis sane admirabilis est.

v. 8. Ostendit non esse cur spiritalem hanc nationem veluti dubitantes miremur. Quum enim in ipsis rebus naturalibus sint de quibus nullo modo dubitamus, quamquam oculis haud queamus ea conspicere, veluti *spiritum*, id est ventum, quem minime videmus, et cuius originem atque exitum ignoramus, tametsi vocem audimus, multo minus, quum aliquid nobis credendum proponitur quod naturae ordinem excedat, licebit assensum detrectare propterea solum quia mente id non assequimur. — *Sic est omnis qui natus est ex Spiritu,* sic, inquam, de spiritali illa natione existimandum.

v. 10. Per Dei omnipotentiam illa fiunt, quae Christus dixerat. Sane autem Israelitarum magistrum dedecebat id nescire aut non cogitare.

v. 11. Omissa declaratione rei quam Nicodemus rogabat, quippe quam humana mens praesertim vero carneus Iudaeus intelligere haud valeret, omissis item aliis argumentis, Christus auctoritatem urget, ac si diceret: Quum scias *me a Deo venisse magistrum* v. 2, iam mihi haec te docenti ac testimonio meo crede. Ita Cyrillus. Nota haec pluralia, *scimus, loquimur, vidimus, testamur, testimonium nostrum*, quorum vim facile senties si ea conferas cum Io. VIII, 16-19. 29; XVI, 32; I, 18. — Sed quaenam *vidimus?* Certe non ea de quibus Christus modo loquutus fuerat; haec enim futura erant. Mysteria igitur in universum quae Christus nos docuit; ipse haec *viderat,* ipse *sciebat.*

v. 12. Caussam affert cur declarationem argumentaque dictorum omittat. Videtur Christus spectare ad Iudaeos in universum potius quam ad Nicodemum; quare, quae dicit, pertinent, non ad ea quae huic modo dixerat, sed quae ad

Iudaeos loquutus fuerat. Sensus autem est: Si mihi non creditis quum vobis ea loquor quae ad vos pertinent nec captum vestrum superant, multo minus mihi credetis de sublimioribus rebus disserenti, de *caelestibus* inquam, quae *scimus* et *vidimus* v. 11.

v. 13. Neque vobis sperandum est posse vos in caelum conscendere ut haec ipsi videatis, neque aliud praeter meum testimonium exspectandum; nam *nemo* hactenus *ascendit in caelum nisi* ego. — Frustra sunt qui quaerunt quomodo Christus tunc dicere potuerit se *ascendisse* in caelum; non enim id dixit, neque id efficitur ex illo *nisi*, quod non significat unum Christum ascendisse in caelum, sed unum fuisse in caelo. Sicut, quum aliquis e sua domo egressus, rogatusque an quisquam ad eum venerit, respondet: Nemo in domum meam venit, nisi ego qui modo inde exii, non dicere vult se domum venisse, sed se solummodo domi fuisse. — His simul alia iam docet Nicodemum, ea videlicet quae de ipso Christo credere oportet. — Nota *filium hominis* qui *iam descendit de caelo*, et nihilominus *adhuc est in caelo;* senties unam esse Christi hypostasin duasque naturas; neque enim filius hominis erat antequam descenderet. Nondum tamen apertius divinitatem suam enuntiat.

v. 14. Sed prius quid perpessurus esset. Christi mos fuisse videtur, quum aliquos de sua divinitate docere vellet, hanc primo subobscurius indicare, deinde ea sermoni inserere quae perpessurus erat, postremo ipsam divinitatem apertius significare. Lege quae dicemus de Io. XII, 23-28. — Patet quo haec similitudo pertineat et quaenam eius vis. In verbo *exaltare* ne aliud quidquam intelligas quam *in altum attollere, sustollere.* Notandus ordo sermonis, primo de nova nostra spiritali natione vv. 3-8, deinde de Deo homine vv. 11 - 13, nunc de eius opere, ad quod perficiendum venit. Animadverte quam sponte alia aliis succedant.

v. 15. Finis ad quem hoc opus tendit. Non dicitur *qui credit ipsi*, sed *qui credit in ipsum;* quae loquutiones dispares prorsus sunt. Nam voces πιστεύειν εἰς *credere in* casum accusativum semper adiunctum habent, quo bis, summum quater, Deus significatur, alias, frequentissime autem in scriptis

Ioannis, Christus, numquam vero alius quivis. Illud autem πιστευεται εἰς δικαιοσυνην in Rom. X, 10 non huc pertinet, non enim εἰς δικαιοσυνην casus est verbi πιστευεται, sed finem significat ob quem καρδια πιστευεται, quod apparet ex orationis contextu, recteque latinus interpres haec reddidit: *Corde enim creditur* AD *iustitiam,* non IN *iustitiam*. Illa ergo forma dicendi non idem valet ac fidem verbis Dei vel Christi adiungere, nam sic de aliis quoque diceretur, sed ipsum Deum ipsum Christum, quales sunt, tales credere talesque habere. Iam vero, si homines aeternum perituri ob Deum iniuria affectum, ubi tamen, ita ut oportet, credunt in Christum, cum hac aeterna morte vitam aeternam commutant, nonne sequitur ut Christus sit Deus? Qui enim fieri potest ut obsequio creaturis exhibito iniuria Deo illata compensetur? Apertius Christus divinitatem suam his indicat. Perperam tamen quis ex hoc loco efficere studeret solam fidem sufficere ad aeternam salutem consequendam; nam Christus non dixit, quotquot credunt, salvos aeternum futuros, sed ideo se venisse ut hi salvi essent, neque illa vis est verborum *credere in Christum.* Confer Io. XII, 42. 43.

v. 16. Caussa illius operis suscipiendi, nimirum Dei amor in genus humanum. — Iam apertissime de sua divinitate Christus loquitur. Nota articulum, τον υἱον *(il figlio)*, itemque appellationem *unigenitum;* et confer quae diximus de Io. I, 18. — Simul declaratur qui fieri possit ut *fides* habita *in Christum* hominibus ceteroquin aeternum perituris saluti esse queat; nimirum quia Christus est *filius Dei unigenitus,* hoc est *Deus.*

v. 17. Quae dixit in vv. 15. 16, confirmat negatione contrarii. Confer Io. XII, 47. Quum Deus homines aeternis suppliciis condemnasset, metus suboriri potuisset ne Dei filius ad id exsequendum missus esset. Animadverte et admirare ut Christus sese misericordem unice exhibeat, utque consona huic misericordiae omnino sit ratio qua transit ad postremum e quatuor, quae diximus, docendum.

v. 18. Dilemmate adhibito metum suspicionemque amolitur ne forte missus sit ad sententiam damnationis exsequendam. Addit caussam cur iam iudicatus sit qui in ipsum non credit. Quae quidem caussa videtur quid ταυτολογον et συνωνυμον

esse cum re de qua redditur, non tamen ita est; quin imo hac caussa addita Christus simul nos docuit quid sit *credere in ipsum*, est nimirum *credere* εἰς ὄνομα *in nomen unigeniti Filii Dei*. — Vt *vocari* pro *esse*, ita *nomen* pro ipsa *re* Hebraei dicere solent (1); ergo haec significant *credere Christum esse unigenitum Filium Dei*, et quidem ita credere ut exponentes versum 15 supra declaravimus.

vv. 19-21. Crimen, de quo iudicium iam factum dixerat, eiusque rationem Christus plenius exponit. In his *iudicium* est ipsa iudicii materies, ipsa criminis ratio ac modus. Lege quae diximus de Io. I, 4. 5. — Antithesis inter verba *male agit* et *facit veritatem* evincit *veritatem* in hoc loco, ex usu quem vox אמת habet apud Hebraeos, idem esse ac *probitatem*, *integritatem animi*. — Quum in hoc loco Christus loquatur de eo *qui facit veritatem* deque huius operibus quae *in Deo sunt facta* antequam is *veniat ad lucem*, liquet haec omnia ad Iudaeos potissimum spectare, quorum aliqui probe vivebant etiam antequam crederent iu Christum. Vides ut Christus semper eam fidem commendet quae opera adiuncta habeat.

v. 22. De *terra Iudaea* egimus in Lib. III de Evangeliis Diss. X. n. 3; Diss. XXVII. c. VII. n. 8; Diss. XLIII. nn. 13. 14. Lege Io. IV, 2.

v. 23. Lege Lib. III de Evangeliis Diss. XLIII. nn. 36. 37. Ioannes Baptista sedem mutaverat; primo enim trans Iordanem morabatur, nunc citra Iordanem v. 26. Lege Io. I, 28.

v. 24. Cur evangelista id notaverit, quod tamen ex ipsa narratione quisque intelligit, diximus in Lib. I de Evangeliis c. IV. n. 27.

v. 25. Huius contentionis occasio, ut ait Cyrillus, fuisse videtur quod alii Christi baptismum alii Ioannis praeferrent.

vv. 27-31. Octavum testimonium Christo datum a Baptista, clarius et plenius ceteris. Huius discipuli aegre ferebant Iesum magistro ipsorum pluris fieri, ut apparet ex ipsorum verbis v. 26. Baptista ergo ipsis respondit non posse se plus sibi attribuere quam quod a Deo tributum ipsi fuerat

(1) Lege De evangel. L. III. Diss. VII. n. 7; Diss. IX. c. III. n. 5; Diss. XVI. n. 23.

v. 27. Haudquaquam nunc primo se id dicere, sed ipsos testes esse ut iam professus fuerit se Christo esse inferiorem v. 28. Id vero se adeo non aegre ferre, ut imo de hoc gaudeat v. 29. De quo gaudio suo ut discipulos certiores faciat, subiungit disparitatem inter se et Iesum oportere maiorem usque evadere v. 30. Concludit rationem afferens huius disparitatis, quod Christus non sit de terra, sed de caelo venerit v. 31; noverat ergo aliam praeter humanam in Christo esse naturam, quumque de eo ut de uno semper loquatur, unam dumtaxat Christi personam non duplicem ab eo agnitam esse liquet. — In graeca pagina est ἐπι παντων, quod verti aeque potest *super omnes* et *super omnia*. — Similitudo adhibita in v. 29 interpretanda est secundum ritus nuptiarum qui inter Iudaeos obtinebant. Sensus ita est: Sponsam quidem ut suam habere deque nuptiis tamquam de re propria gaudere nemini licet nisi sponso. Amicus tamen sponsi, (sic vocabantur paranymphi), ut sponsum ad thalamum comitatus est, gaudet de sponsi laetitia, ubi hunc audit intro cum sponsa colloquentem. — Vsitatum est ecclesiam ut Christi sponsam exhibere, quorum nuptiae saepe in Novo Testamento commemoratae nil aliud sunt quam hominum ad Christum adiunctio. Hanc adiunctionem, in qua Baptista paranymphum quodammodo egerat, iam fieri coeptam huius discipuli ipsi magistro tantum non indignantes narrabant. Is ergo illos redarguit, docetque ut, quae res eos angebat, eadem ipsum gaudio afficeret, quippe qua ipsius vota explerentur. — Attende ut Baptista testimonia sua de Christo concludat aperte atque iterato affirmando Christum de caelo venisse.

v. 32. Haec et quae sequuntur usque ad finem capitis, non Baptistae sed evangelistae verba sunt, quod multiplici argumento conficitur. Primo ipsa horum materies atque adeo primae ipsae enuntiationes non pertinent ad eam rem de qua Baptista cum discipulis loquebatur. Secundo, si huius essent verba *testimonium eius nemo accipit,* haec de Christo dicta essent; sed haec de Christo vere dici nequibant, atque unaquaeque fere pagina vel huius evangelii contrarium docet, in quo saepe ingeminatur illud *multos credidisse in Christum.* Tertio de Christo dicta item essent quae sunt in vv. 33. 34, sed quae

tamen multo minus de eo dicerent ac Baptista superius dixerat. Quarto, quae leguntur in vv. 35. 36, sunt de illo rerum genere quas Christus ipse omnium primus aperte nos docuit. Est ergo evangelista qui haec loquitur, petens Ioannis Baptistae discipulos, etiamtum, quum ipse scriberet, Baptistam Christo praeferentes, deque his pronuntiat illa *et testimonium eius*, hoc est Baptistae, *nemo accipit.* — Confer illud *vidit* cum Io. I, 32. 33, et cum Matth. III, 14. 16, illudque *audivit* cum Matth. III, 17. Lege Lib. III de Evangeliis Diss. XLVII. n. 17.

v. 33. *Signavit* ἐσφράγισεν *sigillavit.* Sigillum apponimus iis de quorum fide nobis constare profitemur. Sensus ergo est: *Qui accepit testimonium eius*, Ioannis Baptistae videlicet, profitetur se credere *quia Deus verax est;* paucis: Qui credit Ioanni Baptistae, credit Deo. Confer Io. VI, 27.

v. 34. Ratio cur ita sit. Haec ipsa ratio confirmatur eo quod Deus, quibus aliquod munus demandat, non modo non parcius quam opus est, sed affatim eos Spiritu sancto repleat; quum ergo Baptista *missus a Deo* fuerit *ut testimonium perhiberet* de Christo, eius testimonium accipiendum procul dubio est.

vv. 35. 36. Attende graecum articulum semper adhibitum ante nomen υἱὸν *filium.* Considera ut et Deum et Iesum *patris* et *filii* appellationibus simpliciter et absolute evangelista designet. — Prior sententia versus 35 rationem exhibet posterioris, posterior autem postrema illa Baptistae verba confirmat, *qui de caelo venit, super omnes est.* — In v. 36 est solita clausula respondens praecipuo evangelistae consilio.

CAPVT IV

1 Vt ergo cognovit Iesus quia audierunt Pharisaei quod Iesus plures discipulos facit, et baptizat, quam Ioannes,

2 (quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius)

3 reliquit Iudaeam, et abiit iterum in Galilaeam.

4 oportebat autem eum transire per Samariam.

5 Venit ergo in civitatem Samariae, quae dicitur Sichar: iuxta praedium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo.

6 Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta.

7 Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere.

8 (Discipuli enim eius abierant in civitatem ut cibos emerent.)

9 Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Iudaeus cum sis, bibere a me poscis, quae sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudaei Samaritanis.

10 Respondit Iesus, et dixit ei: Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.

11 Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est: unde ergo habes aquam vivam?

12 Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit, et filii eius, et pecora eius?

13 Respondit Iesus, et dixit ei: Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum.

14 sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.

15 Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam: neque veniam huc haurire.

16 Dicit ei Iesus: Vade, voca virum tuum, et veni huc.

17 Respondit mulier, et dixit: Non habeo virum. Dicit ei Iesus: Bene dixisti, quia non habeo virum:

18 quinque enim viros habuisti, et nunc, quem habes, non est tuus vir: hoc vere dixisti.

19 Dicit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu.

20 Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, ubi adorare oportet.

21 Dicit ei Iesus: Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem.

22 Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudaeis est.

23 Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quaerit, qui adorent eum.

24 Spiritus est Deus: et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.

25 Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit, (qui dicitur Christus.) cum ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia.

26 Dicit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum.

27 Et continuo venerunt discipuli eius: et mira-

bantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quaeris, aut quid loqueris cum ea?

28 Reliquit ergo hydriam suam mulier, et abiit in civitatem, et dicit illis hominibus.

29 Venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia quaecumque feci: numquid ipse est Christus?

30 Exierunt ergo de civitate, et veniebant ad eum.

31 Interea rogabant eum discipuli dicentes: Rabbi, manduca.

32 Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.

33 Dicebant ergo discipuli ad invicem: Numquid aliquis attulit ei manducare?

34 Dicit eis Iesus: Meus cibus est ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius.

35 Nonne vos dicitis, quod adhuc quattuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albae sunt iam ad messem.

36 Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam aeternam: ut, et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit.

37 In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, et alius est qui metit.

38 Ego misi vos metere quod vos non laborastis: alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.

39 Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quaecumque feci.

40 Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies.

41 Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem eius.

42 Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, et scimus quia hic est vere Salvator mundi.

43 Post duos autem dies exiit inde: et abiit in Galilaeam.

44 Ipse enim Iesus testimonium perhibuit quia Propheta in sua patria honorem non habet.

45 Cum ergo venisset in Galilaeam, exceperunt eum Galilaei, cum omnia vidissent quae fecerat Ierosolymis in die festo: et ipsi enim venerant ad diem festum.

46 Venit ergo iterum in Cana Galilaeae, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.

47 Hic cum audisset quia Iesus adveniret a Iudaea in Galilaeam, abiit ad eum, et rogabat eum ut descenderet, et sanaret filium eius: incipiebat enim mori.

48 Dixit ergo Iesus ad eum: nisi signa et prodigia videritis, non creditis.

49 Dicit ad eum regulus: Domine, descende prius quam moriatur filius meus.

50 Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, et ibat.

51 Iam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, et nunciaverunt dicentes, quia filius eius viveret.

52 Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris.

53 Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus: Filius tuus vivit: et credidit ipse, et domus eius tota.

54 Hoc iterum secundum signum fecit Iesus, cum venisset a Iudaea in Galilaeam.

COMMENTARIVM

vv. 1-3. Hic Christi reditus in Galilaeam idem ille ipse est de quo Matthaeus IV, 12, Marcus I, 14, et Lucas IV, 14 loquuntur. Tempus anni erat, quod colligimus vel ex uno v. 35 huius capitis, intra mensem novembrem vel decembrem, illius, inquam, anni quo primo post baptismum Christus pascha Hierosolymae celebraverat, hoc est anni aer. vulg. 26, paulloque post quam Ioannes Baptista in vincula coniectus fuerat. Lege de Evangeliis Lib. III. Diss. XXXIX. n. 17; Diss. XLIII. nn. 8-11; Diss. XLIV. n. 8.

vv. 4. 5. Nomine *Samariae,* non urbem, sed regionem in hoc loco designari liquet.—*Sichar* eadem ac *Sichem*, olim praecipua urbs regni Israelitarum, deinde *Neapolis* et *Flavia Neapolis,* nunc *Nablusa* vocata.—De *praedio,* cuius hic mentio est, aliquid disces ex Ios. XXIV, 32.—Christus in urbem ingressum non esse efficitur ex v. 8.

v. 6. *Fons* idemque *puteus* Iacobi (1) hodie quoque visitur, sicut visebatur aetate Hieronymi (2) atque adeo ineunte saeculo IV (3).—*Iesus fatigatus ex itinere,* utpote verus homo, Docetas et Phantasiastas refutat.

(1) Conf. vv. 11. 12.

(2) Epitaphium Paullae.

(3) Itinerarium hierosolymitanum.

vv. 7 seqq. In tota hac narratione, potissimum in sermone Christi et mulieris, vides ut sese vivida illa ac nativa simplicitas prodat, aeque ac in ceteris huiusmodi longioribus narrationibus in hoc evangelio descriptis, quam, qui haec reputare norunt, probe sentiunt individuam veritatis comitem esse.

v. 9. Postrema verba sunt evangelistae pertinentque ad mulieris dictum declarandum.

vv. 11. 15. Quisque sentiat necesse est haec mulieris responsa quam ex natura sint.

v. 16. Haec Christus dixit ut occasionem ex mulieris responsione caperet sese huic prodendi.

vv. 19. 20. Mulier, e Christi verbis ipsum prophetam esse intelligens, iam θεολογεῖν amat.

v. 21. Iam non ultra certa urbs erit in qua publicus cultus Deo exhibeatur. Hunc sensum proposita quaestio v. 20 exigit.

v. 22. Quum Iesus v. 21 satis quaestioni fecisset, iam mulierem id docet quod magis de cultu divino nosse opus erat. Ac primo quinam ille sit quem colimus, quem Samaritae, illa praesertim aetate, ieiune atque incondite noverant. — Liquet Iudaeorum populum a Deo electum, in quo ipsius Dei cultus obtineret, propterea fuisse, quia *ex Iudaeis salus*, quia, inquam, Messias ex his oriturus erat; quem horum verborum sensum esse eo confirmatur quod mulier mox subiecit v. 25.

v. 23. Deinde de modo Christus loquitur quo Deus colendus. Qui putant his Christi verbis significari externum Dei cultum necessarium haud esse, legant in Io. II, 14-17 quae Christus aliquot ante mensibus egerit dixeritque in templo Hierosolymitarum. In hoc ergo loco Christus eos reprehendit qui, ritus ac caerimonias observasse contenti, unice securi erant de animi sensibus quibus quemque agi ac duci in illis observandis oportet.

v. 24. Dictorum ratio subiungitur. *Spiritus est Deus* graece Πνεῦμα ὁ θεός, propositio inversa, sicut apparet, non modo ex articulo, sed ex argumentationis contextu atque adeo ex materie.

v. 25. Lege quae diximus de v. 22; facile erit concludere morem obtinuisse ut *salutis* appellatione Messias signaretur;

cuius appellationis cum nomine *Iesu* convenientia neminem latet. Confer v. 42. — *Venit* ἔρχεται, tempore praesenti; scilicet et Samaritae per illud tempus Messiam exspectabant. Confer v. 29.

v. 33. Nativa veritatis simplicitas in his proditur, et scriptor facile agnoscitur ea narrans quibus praesens adfuerat.

v. 34. *Opus eius*. Confer Io. VI, 29; XVII, 4. Quodnam hoc opus, Christus infra explicat metaphoris ex semente et messe petitis.

v. 35. Messis peragebatur inter pascha et pentecosten. Tempus ergo tunc erat intra menses novembrem et decembrem. — Metaphorae sensus est tempus iam adesse quo gentes omnes in ecclesiam congregarentur. Christus haec dixit occasione eius quod de Samaritis in hoc loco narratur.

v. 36. Christus discipulos ad spiritalem hanc messem capessendam duplici proposito emolumento excitat, *mercede* quam recepturi essent, et *fructibus* quos ipsorum labores toti hominum generi essent parituri; aitque fore ut eam ob rem non minus ii gaudeant qui severant, quam ipsi qui meterent. Qui severant messemque paraverant, prophetae erant, Ioannes Baptista, potissimum autem ipse Christus caelesti gratia, cuius auctor est, hominum animos ad fidem perducens.

v. 37. Significaverat moxque v. 38 aperte dicturus erat non ipsos apostolos sevisse quae messuri essent; sensus ergo huius versus sic est: Nam hac quoque in re obtinet illud adagium: *Alius est qui seminat, et alius est qui metit.*

v. 38. Accommodatio proverbii ad rem de qua agitur. Ex his efficitur per illos menses, qui fuerunt a paschate ad Christi profectionem ex Iudaea, discipulos ab eo missos fuisse ad populos illius regionis docendos. Confer Io. III, 22; IV, 1. 2.

vv. 39-42. Animadverte ut Ioannes pro more suo hanc narrationem concludat multos commemorans qui in Christum tunc crediderunt. — *Salvator mundi* idem procul dubio ac Messias; imo in graeco exemplari additur ὁ χριστος *Christus*. Confer vv. 22. 25.

vv. 43. 44. Ioannes narrationem de Christi reditu ex Iudaea in Galilaeam, quam superius v. 3 interruperat, nunc repetit. De Iudaea itaque dicta a Christo sunt illa: *Quia prophe-*

ta in sua patria honorem non habet, quorum similia alias is dixit de Nazaretho. Enimvero, si de Nazaretho dicta essent, quae sunt in hoc v. 44, certe non ratio haec esse poterat ut Christus e Iudaea rediret in Galilaeam, in qua haec urbs posita erat, sensusque Ioannis nos lateret. Tum Ioannes in hoc loco Nazarethum ne nominavit quidem. Neque dicas Iesum e Iudaea reversum primo ivisse Nazarethum, id vero Ioannem narrare omisisse; inconcinne enim is rationem attulisset eius quod minime narraverat, teque collatio refutaret eorum quae sunt in v. 54 et in Luc. IV, 23. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. XXIV.

v. 45. Non tamen miracula Hierosolymae Christus fecisse videtur. Lege v. 54 et Io. II, 11.—*In die festo* graece est ἐν τῇ ἑορτῇ, quod non unum solummodo festum diem significat, sed quotquot sunt quibus aliquod sollemne agitur.

vv. 46. seqq. Qui, quae in hoc loco Ioannes narrat, eadem autumant esse ac quae Matthaeus VIII, 5-13 et Lucas VII, 1-10, tricas sibi nectunt, ipsaque lectione refelluntur.

vv. 50. 53. Nota clausulam repetitam.

v. 54. Primum signum Christus ediderat Canae; hoc ergo alterum primum fuit eorum quae edidit Capharnaumi. Apparet itaque nondum eum post reditum e Iudaea Nazarethum venisse, non enim huc venit nisi post complura signa Capharnaumi edita (1).

CAPVT V

1 Post haec erat dies festus Iudaeorum, et ascendit Iesus Ierosolymam.

2 Est autem Ierosolymis Probatica piscina, quae cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens.

(1) Luc. IV, 23.

3 In his iacebat multitudo magna languentium,
caecorum, claudorum, aridorum, expectantium aquae
motum.

4 Angelus autem Domini descendebat secundum
tempus in piscinam: et movebatur aqua. Et qui prior
descendisset in piscinam post motionem aquae, sanus
fiebat a quacumque detinebatur infirmitate.

5 Erat autem quidam homo ibi triginta et octo
annos habens in infirmitate sua.

6 Hunc cum vidisset Iesus iacentem, et cogno-
visset quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis
sanus fieri?

7 Respondit ei languidus: Domine, hominem non
habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in pi-
scinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit.

8 Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, et
ambula.

9 Et statim sanus factus est homo ille: et sus-
tulit grabatum suum, et ambulabat. Erat autem sab-
batum in die illo.

10 Dicebant ergo Iudaei illi, qui sanatus fuerat:
Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.

11 Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mi-
hi dixit: Tolle grabatum tuum, et ambula.

12 Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille ho-
mo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, et ambula?

13 Is autem, qui sanus fuerat effectus, nescie-
bat quis esset. Iesus enim declinavit a turba con-
stituta in loco.

14 Postea invenit eum Iesus in templo, et di-

xit illi: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

15 Abiit ille homo, et nunciavit Iudaeis quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.

16 Propterea persequebantur Iudaei Iesum, quia haec faciebat in sabbato.

17 Iesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, et ego operor.

18 Propterea ergo magis quaerebant eum Iudaei interficere: quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo. Respondit itaque Iesus, et dixit eis:

19 Amen, amen dico vobis: non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit.

20 Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei, quae ipse facit: et maiora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.

21 Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat: sic et Filius, quos vult, vivificat.

22 Neque enim Pater iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit Filio,

23 ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.

24 Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, et in iudicium non venit, sed transiit a morte in vitam.

25 Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei: et qui audierint, vivent.

26 Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit et Filio habere vitam in semetipso:

27 et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.

28 Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei:

29 et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.

30 Non possum ego a meipso facere quidquam. Sicut audio, iudico: et iudicium meum iustum est: quia non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.

31 Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum:

32 Alius est, qui testimonium perhibet de me: et scio quia verum est testimonium, quod perhibet de me.

33 Vos misistis ad Ioannem: et testimonium perhibuit veritati.

34 Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed haec dico ut vos salvi sitis.

35 Ille erat lucerna ardens, et lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.

36 Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim, quae dedit mihi Pater ut perficiam

ea: ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me:

37 et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me: neque vocem eius umquam audistis, neque speciem eius vidistis.

38 Et verbum eius non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis.

39 Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere: et illae sunt, quae testimonium perhibent de me:

40 et non vultis venire ad me ut vitam habeatis.

41 Claritatem ab hominibus non accipio.

42 Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.

43 Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.

44 Quomodo vos potestis credere, qui gloriam abinvicem accipitis: et gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis?

45 Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem. est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis.

46 Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit.

47 Si autem illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis?

COMMENTARIVM

v. 1. *Dies festus* ἑορτή; lege quae diximus de Io. IV, 45. Hoc sollemne fuit scenopegia anni aerae vulgaris 27, quod incidit in diem quartum vel quintum mensis octobris. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. LIII.

v. 2. *Probatica* graecum vocabulum est, idem valens ac *ovilla*. Graecum exemplar ita habet: *Est autem Hierosolymae ad Ovillam natatoria, vocata hebraice et cetera.* Confer Io. IX, 7. Haec *Ovilla* videtur esse urbis porta quae appellabatur *Porta gregis* (1). — De nomine Bethsaida interpretes certant, aliterque alibi scriptum legitur. — Ex hoc loco frustra argumentum promeres ad ostendendum hoc evangelium scriptum esse quum Hierosolyma adhuc staret. Lege Lib. I de Evangeliis c. IV. n. 36.

v. 4. Qui huius rei fidem elevare tentant opponentes Flavii Iosephi silentium, minime reputant Iosephum tunc vixisse, quum, sublatis iudaicis religionibus christianisque iam obtinentibus, illiusmodi miracula in ea gente fieri iam desierant, atque ita vel de ipsis miraculis, quae in Veteris Testamenti libris leguntur, subinde scripsisse, ut qui naturalibus caussis ea attribuere velle videretur. Qui vero his ipsis caussis attribuunt id quod in hoc loco narratur, nos doceant, necesse est, cur naturalis illarum aquarum vis nisi uni, atque adeo nisi illi *qui prior descendisset in piscinam,* non prodesset.

v. 17. Ex versu 16 intelligimus haec a Christo dicta esse alio die ac illo quo hominem sanum fecit. — *Respondit.* Hellenistae utuntur verbo ἀποκρίνεσθαι *respondere* in eum sensum accepto quo est hebraicum ענה, quod et *respondit* et *loqui orsus est* significat, atque adeo *subiunxit* alterius interrogationi, nullo tamen huius respectu. — Verborum Christi sensus est: Pater, ex quo operari coepit, semper operatus est, et *usque modo operatur*, ita ut nullus ipsi sit dies sabbati; quare nec mihi ullum sabbatum est, quo ea operari, quae

(1) II Esdr. III, 1. 32; XII, 38.

pater operatur, religioni mihi ducam. His Christus non sabbati religionem improbat, quae etiamtum obtinebat, sed Iudaeorum stuporem carpit putantium hanc religionem laedi iis quoque rebus efficiendis quae unus Deus efficere, tametsi etiam per homines, potest. Hunc Christi verborum sensum esse ipse confirmavit iis quae leguntur v. 19, quaeque manifestum est esse explicationem eorum quae nunc interpretamur. — Considera illud *Pater meus,* itemque cetera verba; senties ut Christus significare voluerit sibi, quippe qui Dei filius sit, ea facere licere quae patri licet facere, atque adeo ut sese Deo aequaverit. Certe Iudaei sic eius verba intellexerunt, ut Ioannes testatur v. 18.

v. 18. Ioannes narrat quomodo Iudaei Christi verba intellexerint, atque ita narrat, ut qui sentiat recte eos intellexisse, talemque esse horum verborum sensum.

vv. 19 seqq. Hanc orationem a Christo, non eodem die quo superiora verba protulit, sed aliquot saltem post diebus habitam esse colligimus e primis verbis v. 18; eius tamen habendae occasionem illa ipsa verba dedere, sicut tum materies tum narrationis connexus ostendunt. Tota eo pertinet ut Iudaei tandem in Christum credant, duasque habet partes. In prima parte vv. 19-30 Christus duo urget, eaque omnium aptissima id genus animis, quales Iudaeorum erant, flectendis, duplicem, inquam, potestatem, quam ipse habet, tum homines in vitam revocandi, tum iudicium de ipsis faciendi. In altera parte vv. 31-47 rem agit testimoniis prolatis. Vtramque partem seiunctim exponemus.

Summa ac ductus primae partis. — v. 19 Propositio. Occasione e superioribus verbis v. 17 capta, sententiae his enuntiatae ratio affertur, eaque est una atque individua patris filiique operatio. — v. 20 Huius caussa. — vv. 21. 22 Duo eius rei specimina quod ad Iudaeos potissima, mortuorum suscitatio et iudicium, alterum ex altero enascens, utrumque hominibus exhibendum. — v. 23 Quorsum. — v. 24 Iam propositum attingitur, atque, ostendendo quomodo illa duo iis cedent qui in Christum credituri sunt, ad credendum Iudaei incitantur. — vv. 25. 26 Confirmatio eius de quo est in v. 21, deducta ex rei caussa. — v. 27 Item eius de quo in v. 22. —

v. 28 Repetitio et amplior declaratio tum primae, — v. 29 tum alterius rei. — v. 30 Conclusio primae partis, ipsa propositione repetita et applicata ad praecipuam ex illis duabus rebus comprobandam. Iam de singulis, quae in prima parte sunt, dicamus.

v. 19. Graeca ad verbum sic reddenda sunt: *Non potest filius facere a se ipso quidquam, nisi quid videat patrem facientem: quaecumque enim ille faciat, haec et filius similiter facit.* Sed illud *quod* exemplarium latinorum praeferendum est, quippe quia eo significetur ut filius non aliud operetur ac pater, quae significatio non foret pronominis *quid;* tum addita ratio id confirmat. — Vox *enim* docet priorem propositionem deduci ex posteriore; ordo ergo logicus utriusque sic est: *Quae pater facit, haec et filius facit; quare filius nequit per se ipsum quidquam facere nisi quod patrem facientem videat;* ut autem hoc ex illo efficiatur, pronomen *haec* tantumdem valeat necesse est ac si dictum esset: *haec solummodo, non alia praeter haec.* Sensus ergo hic est: Nihil filius facit quod non pater, nihil pater quod non filius faciat. Vides rationem dictorum in v. 17, unamque patris et filii operationem, quam ostendit illud verbum *a se ipso.*

v. 20. Cur ita sit, caussa ea est, quod pater filio *omnia demonstrat quae ipse facit,* id vero quia is *diligit filium,* hoc est, quia cum eo omnia sua amore communicat. — Illud *his* dictum est de signis et miraculis quae Iesus faciebat.

v. 21. Certe non alios filius ac pater vivificat; una ergo operatione. Sed *filius, quos vult, vivificat;* una ergo utriusque voluntas. — Haec dicta non sunt de quibuscumque hominibus quacumque ratione ad vitam revocandis, verbi gratia de Lazaro, de adolescente Naimita, de Iairi filia, neque enim ad id ea caussa pertineret quae subiungitur in versu insequente. Neque de omnibus hominibus resuscitandis sub mundi finem; nam locus non esset illi apposito *quos vult.* Dicta itaque sunt de illa quae infra v. 29 *resurrectio vitae* vocatur et *resurrectioni iudicii* opponitur. His Christus Iudaeos oblique commonebat nisi ab ipso aeternam vitam sperare neminem posse, quo eos simul ad credendum incitaret. Vnum specimen hoc est eius de quo est in v. 17.

v. 22. Alterum eiusdem huius rei specimen, a quo primum dependet, sicut apparet ex coniunctione *enim;* videlicet Christus, *quos vult, vivificat in resurrectionem vitae,* quia *pater omne iudicium* de hominibus horumque bene vel male factis *dedit filio.* Quaeres quo pacto hoc iudicium possit ut specimen exhiberi unius atque individuae operationis patris et filii, quum pater dicatur neminem iudicare. Sed primo haec quoque interpretanda sunt secundum illa: *non potest filius a se facere quidquam* v. 19. Deinde pater dicitur quoque OMNE *iudicium* dedisse *filio;* una igitur atque eadem quum sit utriusque potestas iudiciaria, *omne iudicium* aeque patri attribuendum est ac filio, ut sensus sit: *neque enim pater iudicat quemquam* per se ipsum, sed una cum filio et per filium. Certe id efficitur ex huius et superioris versus collatione; nam, si filius vivificat quia ipsius est iudicium facere, hoc ipsum patris quoque sit oportet, quum et ipse una cum filio vivificet. Tum versus 30 id omni ex parte confirmat. Ceterum, cur ita Christus loquutus sit, ut obiter haec legentibus prima specie videatur sibi uni iudicium attribuere, rationem suggeret versus 27.

v. 23. Nota illud *sicut;* scilicet eumdem honorem filio deberi qui patri debetur. Illud quoque animadverte, ut non dicatur *qui inhonorat,* sed *qui non honorificat,* quod meram obsequii omissionem sonat, ut mera omissione obsequii Christo debiti desimus obsequio quod Deo debetur. Eadem igitur in utroque caussa cur utrique honorem habeamus.

v. 24. Qui credit in Christum, utique fide caritati coniuncta (1), per quam unam iustificamur (2), iam *habet vitam aeternam,* quare *in iudicium* οὐκ ἔρχεται *non venit.* Quod si vitam aeternam iam habet, recte dicitur *transisse* non autem *transire a morte in vitam,* iure nimirum, si nondum re ipsa.

v. 25. *Venit* ἔρχεται tempore praesenti; nondum ergo venisse dicitur. *Et nunc est,* non quidem haec *hora,* sed tempus quo iam dicere possumus: *Venit* ἔρχεται *hora.* Simplicius; hora postrema imminet, tempus inquam novae dispensationis, post quam alia hora non erit, et in cuius fine totum genus

(1) Lege super. Comment. in Io. I, 4. 5.
(2) Rom. III, 22. 24. 28; IV, 3. 5. 9. 11; V, 1 etc.

humanum ad vitam redibit. Haec quoque de *resurrectione vitae* dicta esse intelligimus tum ex versu insequente, tum quia aliter vix explicari possent prima verba versus 28. — Considera absolutam et simplicem appellationem *filii Dei*, etiam in v. 28. — In his vv. 25 et 26, ut diximus, confirmatur illud, de quo est in v. 21, argumento petito ex rei caussa.

v. 26. Haec caussa aperitur. Nota illud *sicut;* non alia neque alio modo vivifica haec potestas in filio est ac sit in patre. Longe alius sensus est illorum Christi verborum: *Non habebitis vitam in vobis* (1). In illis *vita* est effectus, in his vero caussa. Neque in illo loco est *in vobismet ipsis,* sicut in hoc est *in semet ipso,* sed *in vobis;* quorum quid discriminis sit, facile sentimus.

v. 27. Confirmatio et caussa eius de quo est in v. 22. Quaenam haec caussa? *Quia filius hominis est.* Etenim filius, inquit Augustinus, *passus est se teneri ut homo; non enim teneretur nisi homo,... aut caederetur nisi homo, aut cruci figeretur aut moreretur nisi homo* (2). Quum haec ab hominibus et pro hominibus ut homo perpessus sit, par erat ipsi ut homini iudicium permitti de hominibus faciendum. Hinc ratio discriminis, quod in v. 25 Christus se *filium Dei* appellet, mox autem in v. 27 *filium hominis;* nam *mortuos vivificare* Dei est, *iudicium facere* est hominis, utrumque Christi *θεανθρώπου.*

vv. 28 29. Quid illud quod Iudaei mirari prohibentur? Si id quod sequitur, hoc est universi generis humani e mortuis suscitatio, addenda fuisset caussa cur id mirari non oporteat, quae tamen nulla additur; certe, quaenam ea sit, non apparet. Tum illam rem Iudaei, velut quid novum atque inauditum, mirari non poterant, quibus indubitatum erat homines omnes esse tandem resurrecturos e mortuis; quod si id ut divinae omnipotentiae opus mirabantur, probanda procul dubio et commendanda fuisset talis admiratio. Itaque Christus loquutus fuerat de *resurrectione vitae;* ex quo quis suspicari potuisset Christum dicere non alios revicturos esse nisi quos *resurrectio vitae* maneret, quod sane novum Iudaeorum auri-

(1) Io. VI, 54.
(2) In Ps. LXIII, 8.

bus accideret. Iubet ergo eos Christus v. 28 *non mirari hoc*, quod dixerat, continuoque rationem addit, *quia omnes* quidem resurgent, attamen v. 29 alios alia sorte ac conditione. Quare verba: *quia omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei*, non exprimunt rem, quam Iudaei mirari prohibentur, sed rationem ne, quod Christus dixerat, perperam intelligentes mirarentur. Animadvertere iuvat ut Christus in hac oratione, sicut alibi (1), ita de iudicio faciendo loquatur, ut quod de unis improbis faciendum sit, idque ob eas caussas quas Nicodemo dixerat (2).

v. 30. Eorum, quae Christus in hac prima orationis suae parte nos docuit, caput est aeternas hominum vices ab ipsius iudicio dependere. Hanc itaque partem concludit iudicii sui aequitatem demonstrans, ratione deprompta ex eo ipso quod explicandum sumpserat, et, *non possum*, inquit, *a me ipso facere quidquam*, nec *quaero voluntatem meam*, *sed voluntatem eius, qui misit me*, quare nec aliter *iudico* nisi *sicut audio*; ergo *iudicium meum iustum est*. Vides ut filius iudicium quoque non solus faciat, sed una cum patre; qua de re versus 22 aliquam dubitationem afferre videbatur. — Illud considerationem meretur, quod Christus in superioribus versibus de filio loqnutus est adhibita semper tertia verborum persona; nunc primam orationis partem concludens primam personam usurpat, tum ut ostendat non de alio se loquutum esse nisi de se, tum quia iam transeundum est ad alteram partem, in qua propositum urgendum, gensque incitanda ad credendum iis quae ipse de se dixerat. — Christus loquebatur qua homo erat; hinc illud, quod profitetur sibi voluntatem esse alteram praeter illam quae patri est. Confer Io. VI, 38, itemque Matth. XXVI, 39; Marc. XIV, 36; Luc. XXII, 42.

In prima parte Christus complura de se Iudaeos docuerat, atque adeo quae ipsum parem Deo, ita et Deum, esse, siquidem vera essent, evincerent. Restabat hoc ipsum efficere, ea nimirum vera esse. Hoc in altera parte praestat, citatis quodammodo testibus, deinde Iudaeis caussam exprobrat cur

(1) Io. III, 17-19; XII, 47. 48.
(2) Ib. III, 18.

ei minime crederent, denique minas addens unaque simul Moysis testimonium urgens finem dicendi facit. — Ductus autem huius secundae partis sic est. — v. 31 Non ipsum de se, — v. 32 sed alium ipsi, eumque veracem, perhibere testimonium. — v. 33 Ioannem quidem perhibuisse, — v. 34 seque id commemorare, non quod eius indigeat, sed bono Iudaeorum, — v. 35 qui Ioannem magni fecerant; — v. 36 verum potiores testes sibi esse quam Ioannem, suamet opera nimirum, — vv. 37. 38 patremque, cui tamen credere illi detrectarent, — v. 39 et scripturas. — v. 40 Nihilominus eos fidem ipsi habere nolle. — v. 41 Haec se eis improperare, non quod opus sibi esset ab ipsis honorem accipere, — v. 42 sed quod caritate vacui essent. — v. 43 Hinc praepostera atque perversa ipsorum agendi ratio in excipiendis qui eos regerent docerentque. — v. 44 Tum caussam aperit cur minime credant, — v. 45 minaturque Moysen eos accusaturum, — vv. 46. 47 quippe qui, quum ipsi Christo fidem non habeant, nec Moysi habere profiteantur.

v. 31. Figura concessionis.

v. 32. Hunc alium testem, non Ioannem esse, sed patrem apparet tum ex verbo praesenti *μαρτυρεῖ testimonium perhibet,* Ioannes enim iam interemptus fuerat (1), tum ex vv. 34. 36.

v. 35. *Erat;* iam ergo, ut modo diximus, vivere desierat.

v. 37. *Testimonium perhibuit de me,* baptismo absoluto (2). — Qui ergo Christus continuo haec dicere potuit: *Neque vocem eius umquam audistis?* Si respondeas, quia ii, quos alloquebatur, Christi baptismo non affuerint, ratio sane frigeret. Sensus ergo est *non auscultastis, audire noluistis,* quem sensum versus 38 confirmat. — Illa vero: *neque εἶδος αὐτου ἑωράκατε speciem eius vidistis,* tantumdem valent ac *minime cognoscitis, neque de facie,* ac figurate dictum est.

v. 40. Vis coniunctionis *et* ea ipsa est quae foret in hac vulgari sententia: *Ho per me testimonianze,* E *non mi credete;* eadem, inquam, est ac si dictum esset: *nihilominus non vultis venire ad me.*

(1) De Evangel. L. II. Annot. L.
(2) Matth. III, 17; Marc. I, 11; Luc. III, 22.

v. 41. *Non accipio,* ita ut qui eius indigeam.

v. 43. Quam omnis artificii expers, quam suo loco, quam secundum naturam haec animadversio!

v. 44. Nota superbiam fidei adversantem.

v. 46. Christus haec dicens spectabat ad oraculum a Deo Moysi, a Moyse Israelitis redditum in Deut. XVIII, 15. 18 (1).

CAPVT VI

1 Post haec abiit Iesus trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis:

2 et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quae faciebat super his, qui infirmabantur.

3 Subiit ergo in montem Iesus: et ibi sedebat cum discipulis suis.

4 Erat autem proximum Pascha dies festus Iudaeorum.

5 Cum sublevasset ergo oculos Iesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, ut manducent hi?

6 Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus.

7 Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.

8 Dicit ei unus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri:

9 Est puer unus hic, qui habet quinque panes

(1) *Patrit.* De interpret. scripturar. sacr. L. II. Quaest. VIII.

ordeaceos et duos pisces: sed haec quid sunt inter tantos?

10 Dixit ergo Iesus: Facite homines discumbere. Erat autem foenum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia.

11 Accepit ergo Iesus panes: et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter et ex piscibus quantum volebant.

12 Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quae superaverunt fragmenta, ne pereant.

13 Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus ordeaceis, quae superfuerunt his, qui manducaverant.

14 Illi ergo homines cum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.

15 Iesus ergo cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.

16 Vt autem sero factum est, descenderunt discipuli eius ad mare.

17 Et cum ascendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum: et tenebrae iam factae erant: et non venerat ad eos Iesus.

18 Mare autem, vento magno flante, exurgebat.

19 Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta, vident Iesum ambulantem supra mare, et proximum navi fieri, et timuerunt.

20 Ille autem dicit eis: Ego sum, nolite timere.

21 Voluerunt ergo accipere eum in navim: et statim navis fuit ad terram, in quam ibant.

22 Altera die, turba, quae stabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una, et quia non introisset cum discipulis suis Iesus in navim, sed soli discipuli eius abiissent:

23 aliae vero supervenerunt naves a Tiberiade iuxta locum ubi manducaverant panem, gratias agente Domino.

24 Cum ergo vidisset turba quia Iesus non esset ibi neque discipuli eius, ascenderunt in naviculas, et venerunt Capharnaum quaerentes Iesum.

25 Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti?

26 Respondit eis Iesus, et dixit: Amen, amen dico vobis: quaeritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis.

27 Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.

28 Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus ut operemur opera Dei?

29 Respondit Iesus, et dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.

30 Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum ut videamus, et credamus tibi? quid operaris?

31 Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de caelo dedit eis manducare.

32 Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de caelo, sed Pater meus dat vobis panem de caelo verum.

33 Panis enim Dei est, qui de caelo descendit, et dat vitam mundo.

34 Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc.

35 Dixit autem eis Iesus: Ego sum panis vitae: qui venit ad me, non esuriet: et qui credit in me, non sitiet umquam.

36 Sed dixi vobis quia et vidistis me, et non creditis.

37 Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: et eum, qui venit ad me, non eiiciam foras:

38 quia descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.

39 Haec est autem voluntas eius, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.

40 Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.

41 Murmurabant ergo Iudaei de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.

42 Et dicebant: Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos novimus patrem, et matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de caelo descendi?

43 Respondit ergo Iesus, et dixit eis: Nolite murmurare in invicem:

44 nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: et ego resuscitabo eum in novissimo die.

45 Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.

46 Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem.

47 Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam aeternam.

48 Ego sum panis vitae.

49 Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt.

50 Hic est panis de caelo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.

51 Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.

52 Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

53 Litigabant ergo Iudaei ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?

54 Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

55 Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die.

56 Caro enim mea, vere est cibus: et sanguis meus, vere est potus.

57 qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.

58 Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo pro-

pter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me.

59 Hic est panis, qui de caelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.

60 Haec dixit in synagoga docens, in Capharnaum.

61 Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?

62 Sciens autem Iesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat?

63 Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?

64 Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quidquam. verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.

65 Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.

66 Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.

67 Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro: et iam non cum illo ambulabant.

68 Dixit ergo Iesus ad duodecim: Numquid et vos vultis abire?

69 Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes.

70 Et nos credidimus, et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei.

71 Respondit eis Iesus: Nonne ego vos duodecim elegi: et ex vobis unus diabolus est?

72 Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem: hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.

COMMENTARIVM

v. 1. Quantum temporis post sollemne scenopegiae Christus sive Hierosolymae sive in alia Iudaeae urbe manserit, evangelistae non dicunt; sunt autem caussae cur credamus eum, brevi illic moratum, in Galilaeam ante hiemem rediisse. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. LIV seqq. Ioannes hunc reditum haud narrat, sed statim id describit quod paullo ante proximum pascha accidit prope lacum Tiberiadis. De loco deque tempore habes quae legas in Lib. II de Evangeliis Annot. LXXIII et Lib. III Diss. XLII. nn. 5-8; Diss. XLIII. nn. 23-27. — Nomine *mari* lacus quoque Hebraei designant. Hic lacus in Veteri Testamento *mare* vel *lacus Ceneroth, Cenereth, Genesar* nomen habet, in Novo autem Testamento *mare Genesareth* vel *Tiberiadis*, quae urbs fuit ab Herode Antipa, Herodis regis filio, in honorem Tiberii Augusti exstructa in occidentali litore lacus.

v. 4. Hoc pascha fuit an. aer. vulg. 28, tertium post Christi baptismum, actumque est die 28 vel 29 mensis martii. Ioannes, utpote aliis ac Iudaeis scribens, explicat quid pascha sit.

v. 7. Lege Cavedonium *Numismatica biblica p.* 105.

v. 10. *Viri* ἄνδρες *numero quasi quinque millia,* Matthaeus addit: *exceptis mulieribus et parvulis;* ita ut, qui panes comederunt, fuerint forte non pauciores quam sex hominum millia.

v. 14. Nota clausulam narrationis consentaneam Ioannis consilio. — Item graeca ὁ προφητης ὁ ἐρχομενος (*il profeta che*

viene), articulum inquam et praesens verbi tempus. Recole quae diximus de Io. I, 21-25 et IV, 25.

v. 17. *Venerunt;* graece est *ἤρχοντο veniebant,* idque animadvertere oportet, ne quis putet ea, quae sequuntur, facta esse postquam navis appulerat Capharnaum. — Iesus iusserat quidem discipulos, sicut Marcus narrat, *ascendere navim, ut praecederent eum trans fretum ad Bethsaida* (1), non tamen recta huc navi tendere atque appellere; nulla ergo pugna inter utriusque evangelistae narrationem.

v. 19. Ioannes navigandi peritus vel uno intuitu distantias litorum metiri noverat. Confer Io. XXI, 8. Triginta stadia sunt ferme IV M. P. Fieri ergo ne poterat ut discipuli e navi inter tenebras noctis Iesum viderent *ambulantem supra litus maris,* sicut haec interpretari unus ex illis recentioribus Protestantibus, quem ceteri de eodem grege tamquam miraculum suspiciunt ac venerantur, veritus non est, ut omne miraculum ab hac historia removeret?

v. 21. Illa *Voluerunt ergo accipere eum in navim* idem valent ac *acceperunt;* non insolens est apud Ioannem iste pleonasmus verbi *velle.* Confer Io. I, 43; V, 35; VII, 17; VIII, 44. Non ergo, quae sunt in v. 21, contraria sunt illis quae legimus in Matth. XIV, 32. 33.

vv. 25-59. Hic sermo habitus est in synagoga urbis Capharnaumi v. 60. Eum enarravi in *Commentatione de Christo pane vitae;* quaeque in illa fusius dicta sunt, perstringam in hoc loco. En totius sermonis synopsin.

SERMONIS EXORDIVM

25 *Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti?*

26 *Respondit eis Iesus, et dixit: Amen, amen dico vobis: quaeritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis.*

(1) Marc. VI, 45.

27 *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.*

28 *Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus ut operemur opera Dei?*

29 *Respondit Iesus, et dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.*

30 *Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum ut videamus, et credamus tibi? quid operaris?*

31 *Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de caelo dedit eis manducare.*

SERMONIS ARGVMENTVM

32 *Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de caelo, sed Pater meus dat vobis panem de caelo verum.*

33 *Panis enim Dei est, qui de caelo descendit, et dat vitam mundo.*

34 *Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc.*

35 *Dixit autem eis Iesus: . . .*

PARS PRIMA	PARS SECVNDA
	PROPOSITIO
35 . . . *Ego sum panis vitae:*	48 *Ego sum panis vitae.* 49 *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt.* 50 *Hic est panis de caelo descendens:*
qui venit ad me, non esuriet: et qui credit in me, non sitiet umquam.	*ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.*

PROPOSITIONIS EXPOLITIO

36 *Sed dixi vobis quia et vidistis me, et non creditis.*		
37 *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: et eum, qui venit ad me, non eiiciam foras:*		
38 *quia descendi de caelo,*		51 *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.*
non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.		
39 *Haec est autem voluntas eius, qui misit me, Patris:*	40 *Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me:*	
ut omne, quod dedit mihi,	*ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum,*	52 *Si quis manducaverit ex hoc pane,*
non perdam ex eo,	*habeat vitam aeternam,*	*vivet in aeternum:*
sed resuscitem illud in novissimo die.	*et ego resuscitabo eum in novissimo die.*	
		et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

IVDAEORVM OBIECTATIONES

41 *Murmurabant ergo Iudaei de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi,*	53 *Litigabant ergo Iudaei ad invicem, dicentes:*
42 *et dicebant: Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos novimus patrem, et matrem?*	
Quomodo ergo dicit hic: Quia de caelo descendi?	*Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?*

CHRISTI RESPONSIO

43 *Respondit ergo Iesus, et dixit eis: Nolite murmurare invicem:*

44 *nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum:*

et ego resuscitabo eum in novissimo die.

54 *Dixit ergo eis Iesus:*

Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

55 *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam:*

et ego resuscitabo eum in novissimo die.

RESPONSIONIS EXPLICATIO

45 *Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.*

46 *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem.*

56 *Caro enim mea, vere est cibus: et sanguis meus, vere est potus.*

57 *qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.*

58 *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me.*

EPILOGVS

59 *Hic est panis, qui de caelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt.*

CONCLVSIO

47 *Amen, amen dico vobis:*	
Qui credit in me, habet vitam aeternam.	*Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.*

SERMONIS EFFECTVS

60 *Haec dixit in synagoga docens, in Capharnaum.*

61 *Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?*

62 *Sciens autem Iesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat?*

63 *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?*

64 *Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quidquam. verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.*

65 *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.*

66 *Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.*

67 *Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro: et iam non cum illo ambulabant.*

v. 26. Christus exorditur Iudaeos reprehendens, quod, quum miracula vidissent, nondum tamen crederent, tametsi ipsi miracula pro argumento haberent divinae legationis. Confer vv. 30. 36.

v. 27. Analoga reprehensioni exhortatio; fidem non escam quaerant. — *Cibum,* quem quaerere iubentur, fidem esse analogia ostendit hortationis et reprehensionis, item ratio, quam Christus subiungit, et sermonis pars quae proxime sequitur vv. 28-30. — *Signavit;* scilicet signa, quae Christus faciebat, notas esse quibus pater ipsum *signavit,* ut ei fidem quisque haberet. Confer Io. III, 33. — Nota vim illius appositi ὁ θεὸς *Deus,* quo Christus declarat quinam sit is quem *patrem* appellaverat.

v. 28. Iudaei probe intellexerant Christum non de esca aliqua quaerenda loquutum esse; neque enim ita eum interrogaverunt: *Quid faciemus ut operemur hunc cibum?*

v. 29. Vides ut cibus, quem Christus quaerere Iudaeos iubebat, non aliud sit quam fides. Hac responsione is nos certiores facit probe a Iudaeis ipsius verba fuisse intellecta. Animadverte ut Christus sese proponat tamquam *fidei obiectum;* sic etiam infra v. 40.

vv. 30. 31. Interrogationis nexus cum superioribus Christi verbis manifestus est. — Versus 31 sensus est: Si Moysi credidimus, ratio fuit quia manna de caelo nobis depromens fidem dictis suis fecit. Occupant porro responsum, hesterno die signum, quod petebant, exhibitum fuisse, idemque hoc signum oblique carpunt, tamquam leve quid, si cum manna comparetur. Merito ergo Christus ipsis exprobraverat v. 26 quod signum ab ipso patratum nihili facerent.

v. 32. Hoc Christi responsum confirmat Iudaeorum interrogantium sensum eum fuisse quem diximus. Quum in eumdem hunc sensum Christus respondisse censendus sit, sequitur ut verbis *Pater meus dat vobis panem de caelo verum* utrumque significaverit, et signum petitum dari, et quodnam hoc esset. — *Verum;* nam manna non fuit *panis de caelo* nisi in speciem; quo Iudaei revincuntur qui, manna opponentes, signum a Christo patratum tacite elevabant. Confer v. 49. 59.

v. 33. Summa argumenti totius sermonis; ipsum Christum esse *panem* illum *de caelo verum*, a Deo praebitum pro signo quod Iudaei postulabant; id tamen Iudaei non statim intellexerunt, sicut apparet ex v. 34. Argumentum itaque totius sermonis est Christum esse *panem vitae,* idque duplici modo fieri ipse infra nos docet, tum figurate, qua Christus *fidei obiectum est,* nam *iustus ex fide vivit* (1), tum proprie, in quantum Christi vero corpore et sanguine in eucharistia pascimur et potamur. Duae sunt ergo huius sermonis partes, quas priusquam exponimus, duo animadvertere iuvabit.

Primum est nomine hebraico, quo *panis* signatur, quoque procul dubio Christus est usus, significari id omne quo

(1) Rom. I, 17. Confer Io. IV, 13. 14.

vescimur, in huncque sensum hoc nomen usurpatur in hoc sermone, (neque enim manna, neque Christus, neque huius caro panis est, tametsi cibus sit), ita tamen ut is sensus in prima sermonis parte, in qua est de fide, translatus sit, in altera vero, in qua est de eucharistia, proprius. Confer v. 56.

Alterum sic est. Iudaei signum petierant, ut crederent. Christus eadem mente respondet signum dari, longe potius quam Moyses dederat, nimirum *panem de caelo verum,* seque panem hunc esse. At, si in toto sermone Christus sese *panem* figurate vocasset, sequeretur de se loquutum eum non esse nisi ut de *obiecto fidei,* de re, inquam, ad quam credendam Iudaeis signum a Deo dari affirmabat. Quodnam ergo hoc signum? Nempe ipsa res credenda, unumque atque idem forent signum et res signata. Quamobrem concludamus, necesse est, appellatione *panis vitae,* sicut in prima sermonis parte significatur res quae credenda est, ita in altera parte significari signum propter quod ea credenda sit.

v. 35. Propositio primae partis. Christum esse illum *panem vitae,* qua fidei obiectum ipse est. — *Venire* in hoc loco non aliud est ac *credere;* sic enim tum sententiarum parallelismus, tum comparatio eorum quae sunt in vv. 37. 39. 40, tum ipse Christus in vv. 65. 66 nos docent.

v. 36. *Quia* est pro graeco ὅτι *quod.* — Verbum *vidistis* habet emphasin, spectat enim ad ea quae dicta sunt in v. 26, sicut apparet ex verbis *Dixi vobis;* sensus est: *vidistis me mira patrantem, vidistis ea e quibus, qui sim, agnosceretis.* — Expolire propositionem Christus incipit iterans apertius reprehensionem quam initio sermonis v. 26 fecerat, quo tacite concludat, sicut apparet ex voce *sed,* Iudaeos, utpote qui hesterno die *vidissent* quinam ipse esset, nec tamen ei *crederent,* neque iis bonis fruituros quos proxime v. 35 dixerat ex fide percipi. Videlicet propositionem illustrat denuntiatione mali impendentis illis qui non credunt.

v. 37. Protinus idem hoc facit contrario argumento, promittens fore ut illis bonis ii fruantur qui credunt. — Vnum atque idem est, ut diximus, *venire* ad Christum et *credere* in Christum. Is *venit* ad Christum, quem *dat* Christo *pater,* sive, ut dicitur in v. 66, cui *fuerit datum a patre.* Iam vero in

v. 66 repetuntur, ut apparet ex verbis *Dixi vobis*, et explicantur quae sunt in vv. 44 et 45, quorum posteriora priorum explicatio item sunt. Efficitur sensum versus 37 hunc esse: *Omne, quod dat mihi Pater, omnis quem Pater traxerit, qui audivit a Patre et didicit, cui fuerit datum a Patre, venit ad me*, hoc est, in me credit; *eum* vero, *qui venit ad me*, qui in me credit, *non eiiciam foras*, hoc est, ut mox explicat, *non perdam ex eo* v. 39, non patiar iri perditum, sed contra *habeat vitam aeternam* v. 40, fruatur videlicet illis bonis. Confer Io. XVII, 2. 3.

vv. 38-40. Postremam sententiam versus 37 Christus hoc argumento confirmat: Veni ut exsequar quod vult Pater. Atqui Pater vult ut eum, quem ipse *dedit mihi, qui videt filium et credit in eum, non perdam*, sed *habeat vitam aeternam* et *resuscitem eum*. Ergo *non eiiciam foras*. — Notanda est versuum 39 et 40 similitudo, quae in graeco exemplari evidentior est; duplici namque ratione considerari ii possunt qui veniunt ad Christum, ut qui ipsi a patre dentur, utque qui in ipsum credant, Christus vero, de his eadem secundum utramque rationem enuntians, plenius ostendit se non de aliis atque aliis, sed de unis atque iisdem loqui. — Quorsum illud *videt*, intelliges ex illis quae diximus de v. 36. — Animadverte ut Christus, hanc propositionis expolitionem concludens, iam apertissime ipsam rem loquatur: *Qui... credit in eum, habeat vitam aeternam*, addatque, ne quis forte haec perperam intelligat: *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.*

vv. 41. 42. Iudaei tandem intelligunt Christum de se loqui. Murmurant ergo, non quidem de eo quod is se *panem* esse, sed quod *de caelo descendisse* dixerit. Recte ergo Christi sententiam fuerant assequuti.

vv. 43. 44. Id quod Christi responsio manifestius efficit. Neque enim eos carpit ut qui non intellexerint quae dixerat, sed quod murmurarent, caussamque docet cur, quae dixerat, difficilia creditu ipsis videantur. Tum concludit id repetendo quo superiora concluserat. Lege explicationem versus 37.

v. 45. Declaratur quid sit *trahi a patre*. Is *trahitur*, qui *audit a Patre et discit*. Fides donum est quod uni gratiae divinae acceptum referamus oportet. Ille *audit*, quem Deus

per hanc gratiam vocat, ille *discit*, qui voce Dei audita obtemperat. Vtrumque requiritur, sed utrumque Dei donum est, quippe qui *trahat*, hoc est, utrumque efficiat, ut *audiamus* utque *discamus*. Qui *audiunt* et *discunt*, hi sunt *docibiles Dei*.

v. 46. Providet ne dicta Iudaei perperam intelligant. Confer Io. I, 18. — Nota illud, quod Christus a se uno Deum visum esse affirmat, rationem addens, quia ipse *est a Deo*. Atqui et Moyses et alii complures *erant a Deo;* nam εἶναι παρα του θεου *esse a Deo* dicebantur quotquot a Deo missi Dei nomine ad Israelitas veniebant. Confer Io. IX, 16. 33. Docet igitur nos Christus ipsius *missionem* longe aliam esse ac ceterorum, quorum nemo Deum vidit, longeque alia ratione se a Deo esse ac illi fuerint.

v. 47. Christus adhibita affirmationis formula, qua uti solebat, sepositaque iam omni metaphora, atque apertis verbis maximeque propriis, ut in conclusione fieri par erat, tandem primam sermonis partem concludit. Hoc ipso autem, quod, post rem adeo clare enuntiatam, rursus in versu insequenti se *panem esse* affirmet, efficitur versum 47 dictorum conclusionem esse, itaque partem totius sermonis absolvi, atque adeo totum sermonem duabus constare partibus.

Erat profecto cur Christus, cum Iudaeis, cum Iudaeis inquam, de eucharistia loquuturus, fidei necessitatem antea ipsis, quantum fieri poterat, inculcaret. Quod enim ad alia mysteria attinet, credimus quod non videmus, quod vero ad eucharistiam, contrarium eius, quod videmus, credere oportet. Lege v. 66.

v. 48. Propositio secundae partis iisdem verbis ac primae, sed non eodem sensu. In prima Christus est *panis* sensu translato ut *fidei obiectum,* quum fide vivamus, in altera est *panis,* id est cibus, sensu proprio, quia re ipsa carnem eius edimus et sanguinem bibimus. Si in hac quoque altera parte significatio nominis *panis* esset immutata, Christus dicendus foret, post rem apertissime maximeque propriis verbis explicatam, ad metaphoras denuo reversus esse, inque iis urgendis aeque longo sermone moratus, quas insuper magis ambiguas effecisset frequentissima usurpatione vocum *manducare, bibere, cibi, potus, carnis,* et *sanguinis.* Animadvertere

porro iuvat ut in prima parte atque adeo in ipsa propositione, nomine *panis* semel tantum adhibito, non ultra *panis* aut cibi mentionem iniecerit, nec unquam verbum *manducare* aut *bibere* usurpaverit, sed de una fide loquutus sit, quippe quia in prima parte nomen *panis* translatus sit; quam metaphoram Christus quum initio adhibuerit, eam non ultra urgendam duxit. Ast in secunda parte nulla omnino fidei mentio, neque verbum *credere* vel semel legitur, sed illae voces, quas diximus, una vel plures, nullo non in versu comparent. Praeterea Iudaeis, signum a Christo flagitantibus et manna opponentibus, Christus annuerat, signum dari, idque esse *panem de caelo verum*, neque enim *vere de caelo* fuerat panis quem Moyses illis dederat vv. 32. 33. At nihil de hoc signo in prima sermonis parte. De eo igitur in secunda sit oportet. At, si in secunda parte nomen *panis* idem significaret quod in prima, iam, sicut supra animadvertimus, signum non esset neque esse posset. Sed et alia argumenta sese nobis infra offerent.

vv. 49. 50. Vt primae partis propositioni explicationis gratia subiungitur verbum *credere*, ita propositioni secundae partis verbum *manducare*. Sed, quum Christus in secunda parte loquuturus sit de signo quod Iudaei petierant, quodque a Deo dari ipse affirmaverat, primo rationem afferre voluit cur dixerit *panem de caelo verum* non eum esse quem Moyses dederat, sed quem pater dat.

vv. 51. 52. Christus se *panem vitae* esse affirmaverat, huncque, non autem quem Moyses dederat, de caelo descendisse, atque discriminis, quod est inter hunc panem atque illum, rationem addiderat. Nunc utramque rem unica magisque perspicua enuntiatione repetit v. 51, illamque rationem plenius exponit v. 52. Compara cum vv. 38 - 40 hos vv. 51. 52. In utrisque se de caelo descendisse ait, sed in his se *panem* appellat, in illis non item. In utrisque est conditio *vitae aeternae* obtinendae, in illis quidem si quis *credat*, in his *si quis manducet*. Quod in utrisque promittitur, fieri poterat ut primo Iudaei non recte intelligerent; ideo in illis rei promissae explicatio subiuncta est in fine versus 39 et versus 40, at non in his, utpote re iam explicata. Con-

tra ea vero nulla est explicatio prioris conditionis *si quis credat*, quippe quae perspicua sit, est tamen posterioris *si quis manducaverit* enuntiata illis verbis *et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Ex hac explicatione tria colligimus. Primum est *panem*, de quo agitur in hac secunda sermonis parte, *nondum datum*, atque ab ipso Christo *dandum* fuisse; non ergo hic *panis*, quemadmodum in prima parte, est ipse Christus ut *obiectum fidei*, quippe quem nobis pater iam dedisset. Alterum est primo hemistichio versus 52 sensum hunc esse: *Si quis manducaverit carnem meam, vivet in aeternum.* Num haec potest metaphora esse fidem significans? Tertium denique est nomen *panis* in hac secunda sermonis parte immutatum esse nequaquam posse, sed in proprium sensum, quo *cibum* significat, usurpari. Etenim fac immutatum esse. Immutatio non alia esse posset ac in prima parte; si enim alia esset, eam Christus explicare debuisset, quod tamen non fecit. Sit ergo eadem sicut est in prima parte. Hanc immutationem Christus iam explicaverat, quo iam quisque assequi potuisset quid illa significarent quae sunt a v. 48 ad medium v. 52, siquidem, ut nunc positum habemus, ea ratione essent immutata; ergo non erat ut Christus denuo explicaret, aut certe non aliter id fieri oportuisset nisi ita ut translatio sive metaphora magis magisque clareret. Verum Christus prorsus e contrario fecisset, concludens nimirum tali explicatione, quae novis metaphoris atque obscurioribus inductis rem apprime liquidam perspicuamque mire implicuisset obscurassetque. Lege enim versus 48 et qui sequuntur usque ad medium v. 52, et, quae legis, sic concipe ac si *panis* Christum significaret ut fidei obiectum; quaedam incommode quidem dicta deprehendes, sed non omnino obscure. Lege modo explicationem additam in fine versus 52, qua concluditur, et iam omnia tenebris perfundi videbuntur. Num Christum ita loquutum esse putemus? Tum quam inconcinna quam inepta illa immutatio *carnis manducandae* et *sanguinis bibendi* pro verbo *credere* usurpata!

v. 53. Sicut in prima sermonis parte acciderat. Iudaei murmurare occeperunt, sed item non ante quam Christus rem plene declarasset. Senserant ergo postrema verba v. 52

in proprium sensum a Christo proferri. Quum vero fidem his Christi verbis detrectarent, siquidem perperam ea intellexissent, iam docendi fuissent, metaphoris procul amandatis. At contra Christus fecisset; nam, qui in propositione atque expolitione semper nomen *panis,* numquam *carnis,* nisi in explicatione v. 52, ex quo lis exorta, usurpaverat, iam non ultra *panem* se vocavit, nisi in totius sermonis epilogo et conclusione v. 59, sed *carnem suam manducandam,* atque insuper *sanguinem bibendum* inculcavit, quo certe efficiebat ut ille suorum verborum intellectus in Iudaeorum mentibus confirmaretur. Concludere itaque oportet, non perperam ab his, sed recte Christi verba in proprium sensum accepta esse.

vv. 54. 55. De modo Iudaei quaerebant, quum de re esset cogitandum. Hoc Christus oblique eos monet, ita respondens, ut, non modum, sed necessitatem discant vescendi carne et sanguine suo, ut *habeamus vitam in nobis,* id est gratiam, quamque is esus isque potus utilis sit ad vitam aeternam obtinendam; haec, inquam, eos monet de *carne* deque *sanguine* distincte ac magis expresse, utque solet, tum affirmatione rei, tum contrarii negatione asseverans quod de *pane* universe dixerat. — Apparet eucharistiam necessariam esse ad vitam *gratiae* vivendam, sed ad vitam *gloriae* non item, idque ex dispari ratione qua Christus de utraque re loquitur. — Nota illud, ut Christus responsionem concluserit iisdem verbis eamdem ob caussam adhibitis ac fecerat in prima sermonis parte v. 40.

v. 56. Rei credendae arduitas postulabat ut ipsa plenius explicaretur, omni metaphorarum ac symbolorum suspicione amandata, nec modus, de quo Iudaei quaesierant, prorsus praetermitteretur. Itaque Christus primo v. 56 metaphorae et symboli suspicionem removet allata dictorum ratione ingeminatoque adverbio *vere.* Vbi, velim, illud consideres, quod, si in hac secunda sermonis parte vox *panis* esset immutata symbolumque exhiberet, iam sensus propositionis v. 52 hic foret: *Panis significat carnem meam,* quem tamen sensum quum Iudaei assequuti minime essent, Christus explicare debuisset; num vero apte id fecisset his verbis: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus?*

v. 57. Iam de modo. Ac primo de forma vitae iis, qui Christi carne et sanguine vescuntur, promissae. Confer Io. XIV, 20-23; XV, 4-7 coll. 9. 10; XVII, 26. Ea forma nimirum non alia quam caritas.

v. 58. Deinde et illius vitae caussa efficiens, et caussae efficacia, et efficaciae fons et origo indicatur. Caussa, inquam, est cibus ille divinus, nimirum Christus, caussae efficacia vita quam Christus in se continet (1), efficaciae fons vita Dei; in Deo autem vivere non aliud quam esse; Christi ergo essentia divina haec praestat. — Vsitatum Christo fuit, ad fidem sibi conciliandam, illud urgere, quod ipse a Deo missus esset. Ita et nunc, oblique Iudaeorum interrogationi respondens, eos docet posse se ea, quae pollicebatur, praestare. Atque haec fortasse caussa fuit cur huius missionis mentionem fecerit propositione directa, tametsi adverbium *sicut,* non ad verbum *misit,* sed ad participium *vivens* refertur, non enim *missio* cum *vita* comparatur, cuius comparationis vim ac sensum vix ullum colligeres, sed *vita* cum *vita,* ac si dictum esset: *Sicut pater,* qui *misit me, vivens* est, *et* sicut *ego,* hoc ipso quod a Patre missus sum, *vivo,* idque *propter patrem* δια τον πατερα per patrem, ita, *et qui manducat me,* hoc ipso quod me manducat, *vivet,* idque *propter me* δι' ἐμε per me, non secus ac per fruges vivere dicuntur qui frugibus sese nutriunt. Habes in Io. V, 36 unde in horum προτασιν lumen derives.

v. 59. Quod in prima sermonis parte Christus haud fecerat, huic alteri, propter rei arduitatem, quo ipsam rem magis confirmet, epilogum subiungit. Sic Tullius, post narratam Clodii caedem: *Haec, sicut exposui, ita gesta sunt,* item Virgilius, Priami nece descripta: *Hic finis Priami.* Sensus est: Quid panis ille sit, vobis exposui, ille nimirum, non de quo superius v. 35, sed de quo nunc v. 48, longe alius illo quem Moyses maioribus vestris praebuit, ita et signum multo magis mirandum quam quod mihi opponebatis vv. 30. 31. Ex quo ratio apparet cur in hoc epilogo atque in proxima conclusione nomen *panis* Christus denuo usurpet.

(1) Io. I, 4.

Compara nunc utrumque Christi responsum, tum quod in prima parte sermonis est, tum quod in altera, et, siquidem utrumque eadem de re est, de fide inquam, rationem, quaeso, me doce cur Christus, re plenissime declarata in prima parte, dimidio fere plus verborum in huiusmodi metaphoris urgendis impenderit in hac altera.

Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum. Conclusio responsionis et secundae partis; de qua conclusione idem dictum puta ac de conclusione primae partis. Sed quam alia ratione hanc conclusisset atque illam primam, si in his verbis postremis nomen *panis* per metaphoram adhiberetur. Ecquis putet Christum huius metaphorae tenacem adeo fuisse, ut neque in ipso totius sermonis exitu verbis translatis propria substitueret?

Qui igitur nec caeci sunt, et se communi sensu destitutos profiteri erubescunt, et illam totius sermonis partitionem, quam fecimus, accipiant, necesse est, et vel inviti nobis assentiantur, siquidem in prima parte de fide agitur, non posse in altera parte alia de re esse nisi de Christi carne vere comedenda eiusque sanguine vere potando. Quod tamen argumentum sane praevalidum adhibere contra Sacramentarios ii nequeunt, qui in prima quoque parte Christum de eodem hoc ipso esu ac potu loquutum esse contendunt.

v. 61. Quod *durum* esse videbatur, certe non ea sunt de quibus est in prima parte, quae alias saepe Christus docebat, neque tamen unquam *durum* quid prae se ferre visa sunt, sed ille *esus carnis* illeque *potus sanguinis* Christi; haec, inquam, sunt quae quosdam e Christi discipulis impulerunt ut eum desererent v. 67. Non ergo Christus ultra poterat metaphorae explicationem differre, siquidem per metaphoras loquutus fuisset.

v. 62. Attamen contra facit. — Nota illud *hoc* tum in evangelistae narratione, tum in Christi responso. — De verbo *γογγύζουσι murmurant* tempore praesenti siquid quaeras, lege quae infra dicemus de v. 65.

v. 63. Christus ergo non modo discipulos non dedocet sensum in quem ipsius verba acceperant, sed imo hunc tamquam proprium verborum sensum argumento confirmat. In-

super his Christus eos occupavit qui nobis illud opponunt, non posse eucharistiam, quippe quam esse ii solum credant qui Christo fidem habent, illud signum esse quod Christus Iudaeis promittebat; nam, inquiunt, ut tali signo anctoritas et fides adiungeretur, alio praeterea signo fuisset opus. Ceterum Christus haud dixerat sensile aliquod signnm ab ipso datum iri; eucharistiam vero eiusque totam rationem atque effectus quis non pro certissimo signo habeat quo Christus doctrinis suis fidem faciat? Neque enim hac de re λογικως et θεωρητως iudicandum, sed ἠθικως et πρακτικως, utpote de qua Christum inter Iudaeosque, non philosophorum more, sed familiari sermone agebatur. Quae Christus et Iudaei colloquuti sunt, in pauca confer. Moyses, aiebant hi, fidem sibi conciliavit pane nobis caelitus praebito. Tu vero quid tale praestas? Quibus ille: Ego, inquit, signum longe praestantius exhibiturus sum; nam me ipsum vobis comedendum praebebo. Quid, amabo, in his minus aperte dictum minusve opportune? Quorsum ergo litem de signorum natura ac modo excitemus? — Nota in hoc versu illa *ubi erat prius.*

v. 64. Frustra Sacramentarii sunt qui haec verba nobis opponunt, neque ex his unquam efficient *carnem* Christi *comedendam* et *sanguinem potandum* figurate dici, nisi antea demonstrent verba *spiritus et vita sunt* tantumdem neque aliud sonare quam *translata sunt,* ita ut *spiritus et vita* idem sit ac *metaphora.* Christus, quum ait *verba, quae loquutus* erat, *spiritum et vitam* esse, certe non id dicit de vocum sonitu, sed de re quam illis verbis exposuerat. Sensus itaque est eucharistiam *spiritum et vitam* esse, ipsiusque eucharistiae excellentia et necessitas enuntiatur. Quemadmodum enim spiritus, hoc est anima, hanc vitam, quam omnes vivimus, continet atque alit, ita eucharistia eam vitam, de qua Christus in hoc sermone loquutus est, ipsaque huius vitae qnasi spiritus est atque anima.

v. 65. In graeco exemplari pro *essent* et *esset* legitur εἰσιν *sunt* et ἐστιν *est;* qua de re diximus in Lib. I de Evangeliis c. IV. n. 6. — Animadverte cuiusmodi sit haec scientia, quam Christo Ioannes propriam esse ait.

v. 66. Confer quae diximus de v. 37. Christus ad illa spectat quae dixerat in v. 44. Graece non est παρα του πατρος *a patre*, sed ἐκ του πατρος *ex patre;* qua loquendi ratione exprimitur doni, de quo agitur, excellentia, ut sit quaedam quasi *participatio* divinitatis.

v. 67. Confer quae annotavimus in v. 61.

v. 68. Neque tunc, quum discipulorum defectionem videret, Christus quidquam dixit quo suspicionem saltem ingereret se per metaphoras loquutum esse, sed e contrario ipsa hac percontatione proprium verborum suorum sensum confirmavit.

vv. 69. 70. Nota Petrum omnium nomine respondentem, et confer Matth. XVI, 16. Quam simplex et nativa, quam plena sensu et affectu haec Petri responsio!

v. 71. His Christus Petrum docet se non sine optima caussa quaesisse an et ipsi abire vellent; simulque Iudam commonefacit.

v. 72. Cognomen *Iscariotes* Iudae factum est, prout creditur, ab urbe patria Carioth sita in tribu Iudae (1); estque *Iscariotes* deductum ab hebraico איש קריות *vir Carioth,* sicut *Istob* (2) ab איש טוב *vir Tob.* Talia etiam sunt *vir Israel, vir Ephraim,* et horum similia.

CAPVT VII

1 Post haec autem ambulabat Iesus in Galilaeam, non enim volebat in Iudaeam ambulare: quia quaerebant eum Iudaei interficere.

2 Erat autem in proximo dies festus Iudaeorum, Scenopegia.

(1) Ios. XV, 25.
(2) II Reg. X, 16. Confer *Ioseph* Ant. VII. 6, 1.

3 Dixerunt autem ad eum fratres eius: Transi hinc, et vade in Iudaeam, ut et discipuli tui videant opera tua, quae facis.

4 Nemo quippe in occulto quid facit, et quaerit ipse in palam esse: si haec facis, manifesta teipsum mundo.

5 Neque enim fratres eius credebant in eum.

6 Dicit ergo eis Iesus: Tempus meum nondum advenit: tempus autem vestrum semper est paratum.

7 Non potest mundus odisse vos: me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo quod opera eius mala sunt.

8 Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum: quia meum tempus nondum impletum est.

9 Haec cum dixisset, ipse mansit in Galilaea.

10 Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc et ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto.

11 Iudaei ergo quaerebant eum in die festo, et dicebant: Vbi est ille?

12 Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alii autem dicebant: Non, sed seducit turbas.

13 Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudaeorum.

14 Iam autem die festo mediante, ascendit Iesus in templum, et docebat.

15 Et mirabantur Iudaei, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?

16 Respondit eis Iesus, et dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.

17 Si quis voluerit voluntatem eius facere: cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar.

18 Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit. qui autem quaerit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, et iniustitia in illo non est.

19 Nonne Moyses dedit vobis legem: et nemo ex vobis facit legem?

20 Quid me quaeritis interficere? Respondit turba, et dixit: Daemonium habes: quis te quaerit interficere?

21 Respondit Iesus, et dixit eis: Vnum opus feci, et omnes miramini:

22 Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem: (non quia ex Moyse est, sed ex patribus) et in sabbato circumciditis hominem.

23 Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi: mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato?

24 Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.

25 Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis: Nonne hic est, quem quaerunt interficere?

26 Et ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt. Numquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus?

27 Sed hunc scimus unde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit.

28 Clamabat ergo Iesus in templo docens, et dicens: Et me scitis, et unde sim scitis: et a me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis.

29 Ego scio eum: quia ab ipso sum, et ipse me misit.

30 Quaerebant ergo eum apprehendere: et nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius.

31 De turba autem multi crediderunt in eum, et dicebant: Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quae hic facit?

32 Audierunt Pharisaei turbam murmurantem de illo haec: et miserunt principes et Pharisaei ministros ut apprehenderent eum.

33 Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum: et vado ad eum, qui me misit.

34 Quaeretis me, et non invenietis: et ubi ego sum, vos non potestis venire.

35 Dixerunt ergo Iudaei ad semetipsos: Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? numquid in dispersionem Gentium iturus est, et docturus Gentes?

36 Quis est hic sermo, quem dixit: Quaeretis me, et non invenietis: et ubi sum ego, vos non potestis venire?

37 In novissimo autem die magno festivitatis stabat Iesus, et clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.

38 Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae.

39 Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.

40 Ex illa ergo turba cum audissent hos sermones eius, dicebant: Hic est vere propheta.

41 Alii dicebant: Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Numquid a Galilaea venit Christus?

42 Nonne Scriptura dicit: Quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?

43 Dissensio itaque facta est in turba propter eum.

44 Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum: sed nemo misit super eum manus.

45 Venerunt ergo ministri ad Pontifices, et Pharisaeos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum?

46 Responderunt ministri: Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo.

47 Responderunt ergo eis Pharisaei: Numquid et vos seducti estis?

48 Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisaeis?

49 sed turba haec, quae non novit legem, maledicti sunt.

50 Dixit Nicodemus ad eos, ille, qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis:

51 Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, et cognoverit quid faciat?

52 Responderunt, et dixerunt ei: Numquid et tu

Galilaeus es? Scrutare Scripturas, et vide quia a Galilaea propheta non surgit.

53 Et reversi sunt unusquisque in domum suam.

COMMENTARIVM

v. 1. Christus hoc anno videtur Hierosolymam non ivisse ad pascha celebrandum. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. LXXVII in Additament.

v. 2. Dies festus scenopegiae hoc anno 28 aer. vulg. fuit die 22 septembris. Quae inter huius anni pascha et scenopegiam Christus egit, Ioannes praeteriit. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. XCI.

v. 3. De Christi fratribus diximus supra (1). — Ex hoc loco discimus non omnes Christi discipulos una cum eo fuisse, sed horum aliquos in Iudaea degisse, quum ipse in Galilaea versabatur. Confer Io. XIX, 38. 39 coll. III, 1 seqq. et VII, 50; III, 22. 26; IV, 1.

v. 4. Sensus est: Si cognosci vis, palam omnibus facito ea quae facis.

v. 5. Iis certe exceptis, si qui erant, qui inter apostolos fuerant adlecti, ut Iacobus fortasse et Iudas Thaddaeus.

v. 6. Christus magna consanguineorum ac discipulorum frequentia comitatus Hierosolymam ingrediens facile procerum animos ab ipso iam aversos magis contra se concitasset, quod tamen cavere volebat, quia *tempus* suum *nondum* advenerat, illud tempus videlicet quo sponte manibus illorum sese esset traditurus. At nil tale ipsius consanguineis imminebat.

v. 7. Ratio dictorum; cur, inquam, Christo, non item suis, periculum ex celebri illo itinere adventuque immineret.

v. 8. Quaerunt interpretes quomodo hoc Christi dictum cum facto v. 10 componi queat. Primo itaque animadverte ut

(1) In Io. II, 12.

graeca exemplaria vulgatiora non modo, sed et codex vaticanus omnium vetustissimus pro οὐκ ἀναβαινω *non ascendo* habeant οὔπω ἀναβαινω *nondum ascendo*. Deinde Christum nequaquam simpliciter negasse se iturum, sed iturum eo modo, quo sui volebant, satis efficitur ex tota narratione, praesertim ex vv. 3. 4 comparatis cum v. 10, in quo ipse evangelista videtur praeoccupasse quod opponitur. Confer verba *nemo ... in occulto quid facit, ... manifesta te ipsum mundo,* cum verbis *non manifeste, sed quasi in occulto.* Tum Christus non dixit se non *iturum*, sed non *ire*, quo praesens hora designatur; neque enim unum atque idem est *non ascendo* et *non ascendam.*

v. 13. Pars quippe gentis, ut apparet ex v. 12, eaque non exigua, sicut colligimus ex Io. III, 26; IV, 1. 45; VI, 2. 14, eque ceteris evangelistis, etiamtum Christo favebant.

v. 14. Graeca sic sunt: της ἑορτης μεσουσης *sollemni mediante.* Lege quae annotavimus in Io. IV, 45.

v. 16. Scientia Christi in ipsius divina natura caussam habet, hanc autem naturam Christus acceptam habet a patre. Doctrina ergo Christi ab ipsius patre est. Lege quae dicemus de Io. XII, 44.

v. 17. Quam rem ut ita esse cognoscatis, ad Dei voluntatem vosmet conformetis, animoque sitis ad eius praecepta facienda bonumque agendum propenso, necesse est. Neque enim sperandum erat e Iudaeis alios in Christum credituros fuisse, nisi qui animo sic essent comparati.

v. 18. Quanam animi comparatione eos esse oporteret ut rem cognoscerent, Christus Iudaeos docuerat; iam rei cognoscendae indicium suggerit. Reticetur assumptio, quae sic est: Atqui ego non *gloriam propriam quaero,* sed *quaero gloriam eius qui misit me;* item conclusio: Ergo *a me ipso non loquor,* et *verax sum.* — Animadverte ut Christum virtutem humilitatis dicat signum atque indicium esse ex quo sciri queat an ipse Dei nomine doceat. — *Qui a semetipso loquitur,* hoc est, qui sua placita a se excogitata docet; agitur enim de doctrina. — *Iniustitia* hic idem valet atque improbitas pravitasque. Lege Lib. III de Evangeliis Diss. XV. n. 25.

v. 19. Qui huius et insequentium versuum connexionem cum superioribus disquirunt, vix quidquam extricant; tum

necesse non est id facere, sed solum quaerendum quae caussa fuerit cur Christus de iis, quae sequuntur, sermonem instituerit. Itaque meminerimus ut superiore anno, per idem hoc sollemne scenopegiae, quum Christus quemdam aegrotum sanasset die sabbati, Iudaeorum primores consilium iniverint ipsum interficiendi (1). Haec caussa fuit cur Christus illo anno neque ad sollemne paschatis Hierosolymam venerit (2), et ad ipsum hoc sollemne scenopegiae, quod tunc, quum haec loqueretur, agebatur, venire una cum suis recusaverit. Lege quae diximus de v. 6. De illis vero Iudaeorum machinationibus erat sane cur Christus, ut primum occasio data est, cum ipsis expostularet. Quamobrem, ut Hierosolymam advenit, in medio sollemnis, ad templum adscendit, auditisque hominibus de ipsius doctrina dubitantibus, his primo paucis respondit, continuoque ad illud nefarium consilium venit in ipsum ab urbis primoribus excogitatum. Itaque infit, se quidem ab ipsis calumnia de violata sabbati religione notari, qui tamen totam legem a Moyse ipsis datam negligerent ac perrumperent.

v. 20. Grammatice quidem ac logice esse deberet: *Quid ergo et cetera;* sed istud *ergo,* expostulationis gravitatem atque ἐνεργειαν enervans, non certe ille adhibeat qui vehementiore animi affectu commotus aliquid cum aliquo expostulat.

v. 21. De verbo *respondit,* recole, quae diximus in Io. V, 17. Christus, neglecta, ut par erat, inurbana atque impia interpellatione, dicere pergit. — Graecum θαυμαζειν, aeque ac latina *mirari, admirari,* non semper approbationem rei, quam miramur, sed et improbationem adiunctam sibi habet; tum ea miramur quae laude digna sunt atque eximie placent, tum quae valde indecora ac vituperanda; hanc alteram significationem illud verbum habet in hoc loco; quod a Chrysostomo notatum iam est, et apparet ex ipsa orationis materie et contextu. — Omnino assentiendum Theophylacto, qui autumat verbo *miramini* iungendum illud *propterea* δια τουτο *propter hoc,* quae vox nunc legitur initio insequentis versus. — Facile sentimus haec a Christo ita dici ut ea contraponat illis *nemo*

(1) Io. V, 16. 18.
(2) Ib. VI, 4 coll. VII, 1. Lege Lib. II de Evang. Annot. LXXVII.

ex vobis facit legem, sensumque esse: Vos, qui nullam legem servatis, mirum esse ducitis me contra legem, prout vobis videtur, unum quid commisisse.

vv. 22. 23. Sententia incipit nomine *Moyses.* Iam Christus argumento *a minore ad maius* se defendit, ostenditque nihil in eo, quod fecerat, esse castigatione dignum. — *In sabbato,* id est etiam in sabbato. — *Vt non* ἰνα μη *ne solvatur lex.*

v. 24. Christus concludit opportuna commonitione. — *Secundum faciem* κατ' ὀψιν *secundum visum,* secundum externam speciem, secundum id quod prima specie apparet.

v. 27. Ex Christi responsione v. 29 intelligimus adverbio *unde* in hoc versu significari, non locum, sed genus patremque. — Ex Isaiae vaticinio (1) Iudaei didicerant Christum ex virgine oriturum sine patre; hinc illa vulgi sententia: *Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit.*

v. 28. *Et me scitis, et unde sim scitis,* (figura concessionis, sed per ironiam; italice sic diceres: *Si si, sapete onde io sono),* *et* tamen, (quod scire non vultis), *a me ipso non veni, sed est verus* ἀληθινος *verax,* eique propterea credendum, *qui misit me, quem*que *vos nescitis.* Confer Io. VIII, 26. Nomen ἀληθινος *verus, verax,* in hoc loco eamdem vim habet ac hebraicum אמן, quod nomen verbale est, quamquam non ut tale usurpatum in bibliis reperiatur, quodque, sicut ipsa forma docet et comparatio cum aliis linguis semiticis, eum significat cui fides omnino habenda est. Confer cum hoc loco verba Apocalypseos: Ταδε λεγει ὁ 'Αμην, ὁ μαρτυς ὁ πιστος και ἀληθινος *Haec dicit* Amen, *testis fidelis et verus* (2), in quibus *Amen* est nomen *(l'Amen),* quo Christus signatur, quodque explicatur verbis quae sequuntur. Confer Ap. XIX, 11. 13. Quum ergo fides omnino habenda sit ei qui Christum misit, tacite is infert sibi quoque credendum.

v. 29. Recole quae diximus de Io. VI, 46.

v. 30. Confer v. 6 et VIII, 20. Item confer hos tres locos cum Io. XIII, 1.

(1) Is. VII, 14.
(2) Ap. III, 14.

v. 31. Illi iidem, qui *crediderunt*, ita alios percontabantur: Siquidem hic Iesus non est Christus, num putatis Christum plura signa editurum?

v. 33. *Ergo,* hoc est, eo quod venissent *ut apprehenderent eum* v. 32. — *Adhuc modicum tempus vobiscum sum;* velut si diceret frustra ipsos esse qui eum vellent apprehendere, quum ipse nollet; se enim inter eos sex etiam menses mansurum, *quia nondum venerat hora eius* v. 30, tum vero sponte sua *abiturum,* nam *oblatus est quia ipse voluit* (1). Confer Io. X, 18.

v. 34. *Et ubi ego sum,* id est, quia *ubi ego sum.* — Nota illud *sum* tempore praesenti, et compara cum verbo *vado*, quod est in versu superiore, item cum Io. VIII, 21; ex quo loco intelliges quoque quid Christus significaverit tum verbis *non invenietis,* tum verbis *non potestis venire;* illudendo haec dicere Christus videtur, ut sensus sit: Nunc me quaeritis; verum et alias alia ratione quaeretis, sed frustra.

v. 35. *In dispersionem Gentium* εἰς την διασποραν των Ἑλληνων, hoc est, ad Iudaeos qui inter alias gentes dispersi degebant. Confer Iac. I, 1; I Pet. I, 1.

v. 37. Hic dies octavus erat scenopegiae, secundus et vicesimus mensis tisri, qui dies illo anno incidit in diem 29 septembris. *Hierusalem,* inquit Hieronymus, *penuriam patitur sitis, ita ut caelestibus utatur pluviis, et raritatem fontium cisternarum exstructione soletur* (2). Has pluvias Iudaei a Deo petebant die octavo scenopegiae. Hinc occasio Christo oblata haec dicendi. Confer Io. IV, 10. 13. 14. — Quid sit *venire ad Christum,* diximus ubi enarravimus Io. VI, 35. 37; quod meminisse necesse est ut huius et sequentis versus nexus perspiciatur.

v. 38. *Qui credit in me,* graece Ὁ πιστευων εἰς ἐμε *Credens in me,* nominativus absolutus sine verbo; qui est hebraismus ita exponendus ac si dictum esset: *Quod attinet ad credentem in me.* — Verba *sicut dicit scriptura* pertinere possunt ad sententiam quae sequitur, etsi haec sententia his verbis expressa in scripturis non legatur, quum tamen legatur illud quod statim Ioannes nos docuit iis verbis significari, datio inquam

(1) Is. LIII, 7.
(2) In Is. XLIX, 14.

Spiritus sancti. Lege Ioel. II, 2 et Act. II, 16-18. Possunt tamen pertinere ad priora, ut sensus sit: *Qui credit in me* ita ut praecipit *scriptura*. Confer Deut. XVIII, 15. 18. Qui credunt in Christum, aliis quoque, accepto Spiritu sancto, doctrina sua profuturi praedicuntur.

v. 39. Lege Lib. III de Evangeliis Diss. XLIII. nn. 71. 72. Christi ergo sententia in vv. 37. 38 haec est: *Qui credit in me, dabitur ei Spiritus sanctus, postquam ero glorificatus.* Quisnam vero haec dicere potuisset, nisi qui Deus esset?

v. 40. *Propheta* ὁ προφήτης *(il profeta)*. Lege quae diximus de Io. I, 19-23.

vv. 41. 42. Vides ut oracula de Christo edita vulgo nota essent.

v. 45. Non tamen eodem die quo missi fuerant. Confer vv. 32. 37.

v. 48. De his *principibus* habes quae legas in Lib. III de Evangeliis Diss. XXVIII. n. 35.

v. 52. Frustra homines Nicodemum scripturas scrutari iubebant, ut illud reperiret quod in scripturis non est.

v. 53. Quae sunt ab hoc versu ad v. 11 insequentis capitis VIII, absunt a plerisque ac praecipuis codicibus graecis, patres item graeci plerique vel ea non agnoverunt vel de iis dubitarunt; secus latini tum patres tum codices. Qua de re multos habes quos legas. Nobis satis sit quaedam annotasse. Aliud est quaerere an haec sint scripturarum sacrarum pars, aliud an ab ipso Ioanne scripta. De primo iam non licet dubitare, ex quo ecclesia iudicium de eo tulit. Quod ad alterum, sunt utique in hac narratione de muliere adultera quae dictionem Ioannis propriam redolere non videntur; non tamen via deest qua difficultas, si quam haec faciunt, removeatur. Nam primo, inquiunt, illa *in montem Oliveti*, nullo, contra ac Ioannes solet, apposito quo huius montis situs signetur, vix adiudicari queant Ioanni. At non magis, quam Oliveti, situs torrentis Cedronis ad huius montis radices decurrentis notus lectoribus erat, Cedronem tamen Ioannes sine ullo apposito commemoravit (1). Secundo Hierosolymitas Io-

(1) Io. XVIII, 1.

annes numquam *populum* ut in Io. VIII, 2, sed *Iudaeos* vocat. Verum codices sunt in quibus non πας ὁ λαος *omnis populus*, sed πας ὁ ὀχλος *omnis turba* legitur, vocabulum inquam saepe a Ioanne usurpatum ad designandos Hierosolymitas. Tertio *scribarum*, qui in Io. VIII, 3 comparent, nulla alia mentio est in hoc evangelio. Attamen in quibusdam exemplaribus non *scribae et Pharisaei* nominantur, sed *pontifices et Pharisaei*, qui utrique saepius una consociantur apud Ioannem. Quarto Ioannes alios Iesum *Magistrum* compellantes non inducit, sed *Rabbi* aut *Rabboni*, addens his vocabulis *magistrum* significari. Sed hoc bis dumtaxat fecit; potuitque certe semel id facere omisso vocabulo hebraico. Tum, etsi alias homines Iesum *Magistrum* compellantes non inducat, inducit tamen eum hoc vocabulo appellantes ac designantes Io. XI, 28. Confer Io. III, 2 et XIII, 13. Alia corradere, quae aliena sint a Ioannis oratione, puto, nequibis. Quod enim quaedam in his versibus voces sint alias a Ioanne non adhibitae, hoc quidem nihil conficitur ad id ut haec περικοπη Ioannis non esse dicatur; nam et in reliquo evangelio quaedam sunt semel dumtaxat a Ioanne adhibita. E contrario in hac ipsa narratione aliquot reperimus quae alias quoque Ioannes usurpavit, numquam vero ceteri evangelistae, atque adeo quae Ioannis propria haberi aut possunt aut debent. Verbum καταλαμβανειν *deprehendere* Io. VIII, 3. 4 numquam apud alios legitur, nisi semel apud Marcum; ast Ioannes aliis quoque in locis eo usus est inque eumdem sensum accepto. Illa *Hoc autem dicebant tentantes eum* Ioannis orationi consonant omnino. Confer Io. VI, 6. Item illa Μηκετι ἁμαρτανε *Ne ultra pecces* Io. VIII, 11 nuspiam nisi in Io. V, 14 dicta item leguntur. Pro verbo λιθοβολειν *lapides iacere* in Io. VIII, 5 alia exemplaria habent verbum λιθαζειν *lapidare* ab uno Ioanne alias adhibitum. Neque a Ioannis consilio haec narratio abludit, quod erat, non modo ad fidem, sed et ad amorem erga Iesum homines excitare. In duobus denique versibus postremis 10 et 11 ecquis Ioannem haec narrantem non sentiat? Ceterum, quum hac de re ecclesia nihil pronuntiaverit, condemnandus certe ille non esset qui, pro certo habens hanc περικοπην esse *canonicam* et θεοπνευστον, negaret

tamen a Ioanne esse conscriptam, sed ab alio auctore divinitus inspirato, atque huic Ioannis capiti insertam. Equidem ab ipso Ioanne scriptam existimo, sed serius; quo posito caussa discrepantiae, quae in codicibus est, facile patet.

CAPVT VIII

1 Iesus autem perrexit in montem Oliveti:
2 et diluculo iterum venit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos.
3 Adducunt autem Scribae, et Pharisaei mulierem in adulterio deprehensam: et statuerunt eam in medio,
4 et dixerunt ei: Magister, haec mulier modo deprehensa est in adulterio.
5 In lege autem Moyses mandavit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?
6 Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.
7 Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.
8 Et iterum se inclinans, scribebat in terra.
9 Audientes autem unus post unum exibant, incipientes a senioribus: et remansit solus Iesus, et mulier in medio stans.
10 Erigens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt, qui te accusabant? nemo te condemnavit?

11 Quae dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo: Vade, et iam amplius noli peccare.

12 Iterum ergo locutus est eis Iesus, dicens: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.

13 Dixerunt ergo ei Pharisaei: Tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum.

14 Respondit Iesus, et dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum: quia scio unde veni, et quo vado: vos autem nescitis unde venio, aut quo vado.

15 Vos secundum carnem iudicatis: ego non iudico quemquam:

16 et si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum: sed ego, et qui misit me, Pater.

17 Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.

18 Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso: et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.

19 Dicebant ergo ei: Vbi est Pater tuus? Respondit Iesus: Neque me scitis, neque Patrem meum: si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis.

20 Haec verba locutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo: et nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius.

21 Dixit ergo iterum eis Iesus: Ego vado, et

quaeretis me, et in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire.

22 Dicebant ergo Iudaei: Numquid interficiet semetipsum, quia dixit: Quo ego vado, vos non potestis venire?

23 Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.

24 Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris: si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

25 Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Iesus: Principium, qui et loquor vobis.

26 Multa habeo de vobis loqui, et iudicare. sed qui me misit, verax est: et ego quae audivi ab eo, haec loquor in mundo.

27 Et non cognoverunt quia Patrem eius dicebat Deum.

28 Dixit ergo eis Iesus: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, et a meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, haec loquor:

29 et qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum: quia ego quae placita sunt ei, facio semper.

30 Haec illo loquente, multi crediderunt in eum.

31 Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderunt ei, Iudaeos: Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis:

32 et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.

33 Responderunt ei: Semen Abrahae sumus, et
nemini servivimus umquam: quomodo tu dicis: Liberi
eritis?

34 Respondit eis Iesus: Amen, amen dico vobis:
quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.

35 servus autem non manet in domo in aeternum:
filius autem manet in aeternum.

36 si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis.

37 Scio quia filii Abrahae estis: sed quaeritis me
interficere, quia sermo meus non capit in vobis.

38 Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor:
et vos quae vidistis apud patrem vestrum, facitis.

39 Responderunt, et dixerunt ei: Pater noster
Abraham est. Dicit ei Iesus: Si filii Abrahae estis,
opera Abrahae facite.

40 Nunc autem quaeritis me interficere, hominem,
qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi
a Deo: hoc Abraham non fecit.

41 Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque
ei: Nos ex fornicatione non sumus nati: unum patrem
habemus Deum.

42 Dixit ergo eis Iesus: Si Deus pater vester esset:
diligeretis utique me. ego enim ex Deo processi,
et veni: neque enim a me ipso veni, sed ille me misit.

43 Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia
non potestis audire sermonem meum.

44 Vos ex patre diabolo estis: et desideria patris
vestri vultis facere. ille homicida erat ab initio,
et in veritate non stetit: quia non est veritas in eo:

eum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater eius.

45 Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi.

46 Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?

47 Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

48 Responderunt ergo Iudaei, et dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et daemonium habes?

49 Respondit Iesus: Ego daemonium non habeo: sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me.

50 Ego autem non quaero gloriam meam: est qui quaerat, et iudicet.

51 Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.

52 Dixerunt ergo Iudaei: Nunc cognovimus quia daemonium habes. Abraham mortuus est, et Prophetae: et tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in aeternum.

53 Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? et Prophetae mortui sunt. Quem te ipsum facis?

54 Respondit Iesus: Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est,

55 et non cognovistis eum: ego autem novi eum: Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, et sermonem eius servo.

56 Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum: vidit, et gavisus est.

57 Dixerunt ergo Iudaei ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?

58 Dixit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.

59 Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum: Iesus autem abscondit se, et exivit de templo.

COMMENTARIVM

vv. 1. 2. Confer Luc. XXI, 37. 38.

v. 3. De scribis si quid scire cupis, lege Lib. III de Evangeliis Diss. XXIX.

v. 5. Lege Lev. XX, 10.

v. 8. In aliquibus exemplaribus graecis legitur: *scribebat in terra uniuscuiusque ipsorum peccata.* Sic etiam Hieronymus: *Eorum videlicet, qui accusabant, et omnium peccata mortalium* (1). Quo posito apparet ratio eius quod narratur in v. 9.

v. 9. Graeca sic sonant: *Audientes autem, et a conscientia redarguti, exibant unus post unum, incipientes a senioribus usque ad ultimos, et cetera.*

v. 10. Graece: *Erigens autem se Iesus, et neminem videns nisi mulierem, dixit ei: et cetera.*

v. 12. Pari modo, ac Matthaeus frequentissime usurpat vocem τότε *tunc,* ita tamen ut nullum certum tempus designet, ita apud unum Ioannem vox οὖν *ergo* multo pluries legitur quam apud ceteros tres coniunctim, nec tamen semper rerum consequentiam significat. — Haec Christi verba exposuimus ubi dicendum fuit de Io. I, 4. 5. Occasio ita lo-

(1) Adv. Pelagian. II, 17.

quendi praebita Christo fortasse est e luminibus quibus per dies scenopegiae tota urbs illustrabatur (1).

v. 13. E Christi responsione intelligimus a Pharisaeis alterum ex altero adduci, mendax esse Christi testimonium quia de se ipse testabatur.

v. 14. Christus illud connexum refutat ostenditque alterum ex altero non effici. Ratio, quam Christus subiicit, prima specie non satis clare patet. Sed mox patebit ubi animadvertas his verbis caussam exponi, non cur res ita sit, sed cur Christus affirmare queat rem ita esse, quo simul ostenditur, quod affirmat, verum esse. Sententia ergo haec est: *Quia scio unde venio et quo vado*, quia, inquam, scio Deum esse ex quo sum et ad quem vado (2), et me, quippe qui ex Deo sim, mentiri non posse, pro certo affirmare illud habeo, quod, *etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium* tamen *meum verum est. Vos autem* propterea id negatis, quia *nescitis unde venio aut quo vado.*

v. 15. Neque mirum est meam originem incompertam vobis esse, qui pro pravis animi vestri affectibus iudicium facitis. Ast ego non item; *ego non iudico quemquam secundum carnem.* Christus in v. 14 caussam aperuerat cur ipse quiret eam rem affirmare quam Iudaei negaverant, caussa autem ea erat ex qua simul colligebatur veram esse ipsam rem quam ipse affirmabat. — In hoc versu transitio quaedam est ad proximam caussam, cur haec ipsa res nequeat non vera esse, aperiendam.

v. 16. Haec caussa aperitur, cur Christi iudicium, propterea que et testimonium, nequeat non verum esse; nimirum unum atque idem est ipsius Christi ac patris iudicium. Nota Christum una cum Deo iudicium ferentem.

vv. 17. 18. Conclusio, qua Christus confectum habet quod Iudaei in v. 13 negaverant. — Animadverte ut pari loco Christus suum ac patris testimonium ponat.

v. 19. Priora Christi verba ita intellige, veluti si is dixisset: Quum me nesciatis, neque patrem meum, id est,

(1) Succa V. 2.

(2) Confer vv. 16. 18.

quinam sit pater meus, scire potestis; me nescitis, ergo et patrem meum. Hunc esse sensum tum praecedens interrogatio, tum ea, quae sequuntur, nos docent. — Particula graeca ἄν, pro qua in hoc loco *forsitan* latinus interpres reddidit, alibi, velut in Io. XIV, 7. 28, ab eo vertitur *utique*. Simplex sensus est: *Si me sciretis, et patrem meum sciretis*, hoc est, quinam sit pater meus; si, inquam, sciretis me esse filium Dei, sciretis simul Deum patrem meum esse. Considera ut nosse Christum idem sit a nosse Deum esse Christi patrem.

v. 20. *Gazophylacium* vocabatur locus quidam post porticus templi, in quo loco cistae positae erant excipiendis pecuniis quas quisque in usum sacrorum conferebat. Qui affirmant hunc locum fuisse in atrio mulierum, id colligunt ex Flavii Iosephi verbis (1); e quibus an recte id colligatur, facile sentient qui attentius ea legerint. — Postrema verba huius versus confer cum Io. VII, 30, utraque autem cum Io. XIII, 1.

v. 21. Quaeritur utrum haec, et quae sequuntur, sint pars unius atque eiusdem sermonis ac superiora, aut saltem mox prolata, an alio loco et tempore. Verbis quidem *Ego vado* sententiam repetere Christus videtur quam oblique in v. 14 enuntiaverat; tum constat haec quoque, et quae postea sunt, in templo, aeque ac superiora, dicta esse v. 59. Attamen versus 20 haec superioribus dividere ac tempore distinguere tantum non cogit. Potest nihilominus utrumque componi ita, ut Christus sermonem, qui sequitur, habuerit, etsi non in gazophylacio, neque continuo ut superiora loquutus erat, attamen non multa post hora in alio templi loco; captaque occasione ex iis quae protulerat v. 14, *iterum*, ut ait Ioannes, Iudaeos docuerit de proximo ipsius abitu ad patrem, quod et paucis ante diebus (2) fecerat. Confer hunc et insequentem versum cum Io. VII, 33-35, perspiciesque nunc a Christo repeti quae tunc dixerat. Ex qua collatione simul intelliges, quod hic legitur, *in peccato vestro moriemini*, caussam esse eius quod illic enuntiatur verbis *non invenietis*,

(1) Bell. V. 5, 3.
(2) Io. VII, 33. 34.

quodque utrobique verbis *non potestis venire*. Neque vero logicus deest horum dictorum ordo, qui sic est: ***Quaeretis me, et non invenietis***, quia, ***ubi ego sum***, ***quo ego vado***, ***vos non potestis venire***, nam ***in peccato vestro moriemini***. Quum ***in peccato suo*** morituri essent, non poterant illuc ire quo Christus ibat, quumque illuc ire non possent, neque ipsum invenire poterant. Mali ergo origo, ut apparet, illa erat, quod futurum esset ut *in peccato suo* morerentur; hoc tamen non aliter nisi si, ut ipse Christus id paullo inferius v. 24 explicat, non crederent *quia ipse est*.

vv. 23. 24. Quod Iudaei non intelligebant, id Christus ipsis exponit. Rem facile mente assequemur, si meminerimus ut Christus alibi suos, hoc est, qui in ipsum credunt, affirmaverit non esse de mundo (1); qui ergo de mundo sunt, in Christum non credunt. Iudaei disputabant de sensu verborum *quo ego vado, vos non potestis venire,* praeteribant vero illa apertissima atque horrenda *in peccato vestro moriemini.* Christus ergo disputantibus ac dubitantibus respondens, non adeo illa, de quibus disputabant, quam haec altera ut probe perciperent, curavit, quibus perceptis et illa priora nullo negotio percepturi essent. Vsus autem est syllogismo, ut vocant, *conditionato*, cuius propositio est in altera parte versus 24, assumptio in versu 23, complexio in prima parte versus 24. Assumptio quidem non expresse enuntiata est, sed implicita in ipsa rei caussa, quam Christus aperit; quum enim aiebat Iudaeos *de mundo* esse, sequebatur ut hi minime in eum crederent. Potius autem rei caussam quam ipsam rem ideo enuntiavit, ut quaestionis et responsionis quaedam analogia exstaret; quum enim Iudaei quaererent de loco quo Christus iturus esset, cur ipsi illuc ire nequirent, Christus respondit rationem afferens petitam quodammodo e locorum distantia, videlicet eos *de deorsum* esse, se vero *de supernis,* eos *de mundo,* se non item. — Sed quid illa *quia ego sum?* Quinam ipse sit aut quidnam, Christus non dicit. Si huic verbo *sum* simplex ea notio subesset quae propria ipsius est, stultus habendus potius is fuisset, qui non crederet Iesum esse, quem ta-

(1) Io. XV, 19; XVII, 14. 16.

men et praesentem videbat et loquentem audiebat, quam ut ei haec res in crimine poneretur numquam condonando. Nemo itaque non sentit τὴν ἔμφασιν quam haec verba habent; porro autem, quaenam eorum significatio sit, quisque facile assequetur qui ea contulerit cum his, quae in Exodo leguntur: *Ait Moyses ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Israel, et dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen eius? quid dicam eis? Dixit Deus ad Moysen:* EGO SVM QVI SVM. *Ait: Sic dices filiis Israel:* QVI EST, *misit me ad vos* (1).

v. 25. Ea, quae postremo loco Christus dixerat, occasionem Iudaeis praebuerunt ita eum interrogandi: *Tu quis es?* Christi responsio graece sic est: Τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Constat τὴν ἀρχὴν adhibitum hic esse loco adverbii, sed de eius deque totius enuntiationis significatione disceptatur. Quidam aiunt τὴν ἀρχὴν idem valere ac *principio, initio,* alii idem ac *omnino, prorsus,* alii denique ita litem diiudicant, ut haec vox nequeat significare *omnino, prorsus,* nisi in propositionibus negantibus. Itaque Christi verba quidam ita vertunt: *Omnino* sum id, *quod et loquor vobis,* id est: Is prorsus sum quem me esse profiteor. Alii vero ita: *A principio quod et loquor vobis,* ut sit verborum transpositio pro: *Quod et loquor vobis a principio,* Is sum quem principio vobis dixi; sed transpositio haec satis inconcinna esse videtur. Ceterum Christus satis de se dixerat e quibus, quinam ipse esset, quisque intelligere posset, non tamen apertius rem enuntiandam esse huc usque putaverat; quare nunc quoque, quum illa Iudaeorum interrogatione urgeretur, ita respondit, ut iis, quae alias de se dixerat, nihil adderet. Confer v. 26. Perspiciebat enim quo animo Iudaei de ea re ipsum interrogarent, certe non ideo ut crederent quae dicturus esset, sed ut calumniandi occasionem nanciscerentur, sicut paullo post apparuit v. 59.

v. 26. Vos quidem velletis ut plura de me dicerem; ast ipse e contrario *multa habeo de vobis loqui.* Iis, quae sequuntur, Christus Iudaeorum animos ante occupavit, ne forte ne-

(1) Ex. III, 13. 14.

garent vera esse quae de ipsis loqui habebat; quam ante occupationem particula adversativa *sed* manifestam efficit.

v. 27. Graeca sic sonant: *Non cognoverunt quod de patre ipsis loqueretur.* Animadverte ut Ioannes Deum appellatione *patris* Christi simpliciter designet.

v. 28. Superius v. 24 Iesus haec loquebatur: *Si enim non credideritis* QUIA EGO SVM, *moriemini in peccato vestro.* Loquentem Iudaei interpellaverant v. 25. Quum interpellantibus respondisset, ita interruptum sermonem repetiit: *Cum exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis* QVIA EGO SVM. Lege quae diximus de Io. III, 14. Fac memineris eam solum fidem in toto hoc evangelio commendari quae per caritatem operatur, intelligesque longe aliud esse *cognoscere* ac *credere.* — Illud *ergo*, a Ioanne adhibitum in hoc loco, non modo supervacaneum non est, sed ita versus 27 et 28 connectit, ut novum inde lumen verba Christi habeant; ostendit enim propterea haec a Christo addita esse, quia Iudaei, quae loquutus erat, non intellexerant, eiusque sententiam hanc esse: Quod nunc non cognoscitis neque intelligitis, tunc intelligetis et cognoscetis, *cum exaltaveritis filium hominis;* sequitur ut verbis *quia Patrem eius dicebat Deum* verbisque *quia ego sum* analogus sensus subsit. Confer Luc. XXIII, 48. — Neque modo *cognoscetis quia ego sum,* verum etiam eorum, quae nunc facio aut dico, nihil me neque arbitratu meo neque per me ipsum facere aut dicere, *sed sicut docuit me Pater,* nimirum Deus, quem patrem meum esse nondum cognoscitis, atque una cum patre. Verbis *a me ipso* utrumque significari, *arbitratu meo* et *per me ipsum,* id est sine altero, apparet ex propositione adversativa, quae continuo subiungitur, et ex prima parte versus insequentis. Quo autem indicio id tunc cogniturі Iudaei essent, quum cruci Christum fixissent, ipse docuit in insequentis versus parte altera.

v. 29. Quae sunt in prima huius versus parte, ea utrovis modo dicta intelligi possunt; vel ita ac si haec quoque Iudaei dicantur, ubi Christum cruci fixissent, cogniturі esse, vel ita ut quae caussa sit eorum quae Christus proxime dixerat. Hoc alterum praestat. Vel enim ea significant coniunctionem Christi et patris in una numero natura, vel patrem

Christo iugiter favore suo suaque ope adesse. Si primum, sique haec a verbo *cognoscetis* proxime dependerent, non ea a verbis *quia ego sum* separanda fuissent aliis interpositis quae, non ad Christi naturam, sed ad eius facta ac dicta pertinent. Si alterum, supervacanea foret horum mentio, de quibus nemo, qui iam cognovisset *quinam* Christus *esset,* dubitare posset. Neque sequitur ut supervacanea dici illa quoque debeant, *et a me ipso facio nihil et cetera;* ut enim verba *quia ego sum* divinam Christi naturam, ita illa distinctam a patre personam significant. Concluditur verba *Et, qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum,* non dependere, saltem proxime, a verbo *cognoscetis.* Itaque in prima parte versus 29 caussa est cur Christus *a se ipso faciat nihil,* videlicet eius et patris coniunctio in una natura; quumque propterea altera huius versus pars nequeat ratio esse primae partis, sed eorum quae sunt in altera parte versus 28, concludimus primam partem versus 29 esse quasi παρένθετον. — Postremis ergo verbis *quia ego, quae placita sunt ei, facio semper* Christus indicium Iudaeis praebuit, quo, ubi ipsum in crucem sustulissent, cognoscere quirent ut *a se ipso faceret nihil, sed, sicut docuit eum pater, haec loqueretur;* quod enim Christus semper ea fecerit quae patri placerent, tunc potissimum apparuit, quum *oblatus est, quia ipse voluit,* et *tradidit in mortem animam suam* (1), tunc, inquam, quum *humiliavit semetipsum, factus* OBEDIENS *usque ad mortem, mortem autem crucis* (2).

Sententia subiecta versibus 28 et 29 ita exponenda esse videtur: *Cum exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum,* nimirum Deus, ex signis quibus tunc divinitas mea manifesta fiet. Neque id modo cognoscetis, verum etiam, quod consequens est, *quia ... a meipso facio nihil,* ergo nec loquor, *sed sicut docuit me pater, haec loquor,* (pater namque, *qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum),* propterea *quia ego, quae placita sunt ei, facio semper;* id quod tunc compertum habebitis, quum, ut patri obtemperem, mortem subibo.

v. 30. Nota clausulam Ioanni usitatam.

(1) Is. LIII, 7. 12.
(2) Philipp. II, 8.

v. 31. Sic *Manere in tenebris* (1), *Manere in lumine* (2), *Manere in morte* (3), *Manere in dilectione* (4), *Manere in charitate* (5), *Permanere in doctrina Christi* (6).

v. 32. Sicut sunt qui ita Iesum cognoscunt esse Christum filium Dei, ut tamen non *in eum credant*, id quod iam supra v. 28 animadvertimus, sic etiam non hoc, quod quis *in eum credat*, dicendus est plenam simul Christi notitiam adeptus esse. Apostolorum quoque fides, dum Christus in terris mansit, ut imperfecta esset, videmus. — *Veritatis* nomine in hoc loco significatur quidquid de Christo credendum est, atque adeo ipse Christus. Confer v. 36. — *Liberabit vos*, a peccatis videlicet. Confer v. 34-36. Non ergo sola fides homines iustificat.

v. 33. Haec non eorum, qui in Christum crediderant v. 30, verba esse, sed aliorum, qui forte praesentes aderant, intelligimus ex Christi responso, praesertim ex v. 37.

Christus, his respondens, primo illud, quod iidem hi, quum non intellexissent, negabant, explicat vv. 34-36; deinde de ratione, propter quam negabant, aliqua subiungit, occasionem inde capiens eos redarguendi v. 37.

v. 35. Haec Christus non ideo protulit ut propositionem confirmaret quae est in v. 34, neque ut huic propositioni connecteret complexionem quae est in v. 36, sed ut Iudaei sentirent quam reformidanda esset ea servitus, quantique ea libertas facienda, de quibus sermo erat; quare παρενθετα haec sunt. Exhibent autem in universum discrimen quod est inter servos et filios, quo inferatur quaenam sors *servos peccati* maneat.

v. 36. Argumenti complexio. Christus praedixerat futurum ut *veritas*, nimirum ipse Christus, eos liberos efficeret, qui in ipsum credidissent v. 32. Iudaei opponebant fieri non posse ut, qui nemini unquam servierant, liberi efficerentur.

(1) Io. XII, 40.
(2) I Io. II, 10.
(3) Ib. III, 14.
(4) Io. XV, 9. 10.
(5) I Io. IV, 16.
(6) II Io. 9.

Christus vero his: *Qui facit peccatum, servus est peccati* v. 34. *Si ergo vos filius liberaverit* a peccato, *vere liberi* effecti esse dicendi *eritis*, vereque dixi vos liberos futuros.

v. 37. Cur se liberos crederent, Iudaei hanc caussam attulerant, se Abrahae filios esse v. 33; hanc suam originem crepare illi solebant. Christus rem non negat, sed degeneres ipsos arguit. — *Quia sermo meus non capit in vobis*, quae doceo, quae loquor, mente non capitis (1),

v. 38. tametsi non alia loquor quam *quod vidi apud patrem meum*. Confer v. 28. Considera illud *vidi* et confer cum Io. VI, 46. Concludit Christus Iudaeos castigans vivida antithesi verborum *ego* et *vos, patrem meum* et *patrem vestrum, loquor* et *facitis*.

vv. 39-41. Apparebat, quem Iesus *patrem* Iudaeorum appellaverat in v. 38, alium esse ac Abraham. Hinc ista Iudaeorum interpellatio. Christus autem, tum quae ipse postremo loco dixerat, tum quae Iudaei responderant, una componens, propositum argumentum urget: Eos non id agere quod Abrahamo genitos deceret, sed quod illo alio patre, quem indicaverat. Tum demum Iudaei Christum non de naturali patre loqui, nondum tamen, de quonam loqueretur, intellexerunt, sed putarunt patrem ipsorum a Christo dici mendax aliquod numen; quare simpliciter negarunt alium sibi patrem esse quam Deum. — *Fornicatio* in hoc loco, sicut id, quod infertur, ostendit, mendacium numinum cultum, ut saepe alias in bibliis, significat. Lege Lib. I de Interpretat. scripturar. sacrar. n. 195.

v. 42. Quemadmodum superius Christus Iudaeis exprobraverat quam male ipsorum facta origini ex Abrahamo ductae, quam iactabant, responderent, ita nunc eosdem ipsos revincit aientes se unum patrem habere Deum. — Graeca sic sunt: *Ego enim ex Deo exivi, et venio*. Nota illud *ex Deo exivi*, et confer cum Io. XIII, 3. Dicta haec sunt pro *ex Deo exiens venio*; graeca enim verba ἔρχεσθαι et ἥκειν *venire*, quum adiunctum habent casum nominis quo persona significatur, numquam huic casui coniunguntur praepositione ἐξ *ex*, sed

(1) Confer Io. V, 38.

vel ἀπὸ *ab*, ut in Marc. V, 35 et in Io. III, 2, vel παρὰ *de*, ut in Luc. VIII, 49. Christus duas affert caussas dictorum, unam *se ex Deo processisse*, alteram *a Deo missum venisse*.

v. 43. Interrogationis sensus non est nolle Iudaeos Christo dociles aures praebere; is enim sensus est insequentis enuntiationis, qua Christus caussam aperit eius, quod interrogaverat. Tum longe aliud est *loquelam non cognoscere*, quod italice dicimus *riconoscere alla pronunzia*, aliud nolle auscultare; hoc illius caussa certe est. Adde quod non in loco Christus Iudaeos ea de re reprehendisset, videlicet ubi aliud multo gravius his exprobrabat, odium, inquam, quo ipsum prosequebantur, adeo ut de ipso interficiendo consilia agitarent; haec enim materies est eorum tum quae antea vv. 37. 40, tum quae postea Christus dixit. Itaque λαλιὰ *loquela* in hoc loco, aeque ac in Matth. XXVI, 73 et in Marc. XIV, 70 graec., significat pronuntiationem modumque loquendi ex quo quis, cuias sit, quo genere, quo patre natus, agnoscitur. Christus dixerat se *ex Deo processisse;* subiungit posse hanc suam originem Iudaeis manifestam fieri, si modo eum loquentem audire vellent. Nemo autem non intelligit Christum verbi immutatione usum esse, et nomine *loquela* res significasse quas *loquebatur, sicut eum pater docuerat* vv. 26. 28. 38. Habes novum argumentum quo Christus se ex Deo natum esse confirmavit.

vv. 44. 45. Christus una comprehensione omnia dicta complectitur. Iam, quemnam Iudaeorum patrem appellaverit, aperte dicit; diabolum eum esse. Iudaeos, ipsum Christum *interficere quaerentes* vv. 37. 40, veritatemque aversatos vv. 13. 24. 32. 37. 40. 43, opera facere *patris sui* vv. 38. 41, quippe qui *homicida* fuerit *ab initio*, et *mendax*, et *pater mendacii*. Huic, non Christo qui *veritatem diceret,* eos *credere*.

v. 46. Tum quam inique mortem ei machinentur, quem de nullo peccato reum arguere queant, imo qui nil nisi veritatem eos docere studeat.

v. 47. Consectarium. Confer v. 44.

v. 48. In Christum aperte tandem loquutum iam illi contumeliam iaciunt.

vv. 49. 50. Christus primo interpellationi respondet. Se ea, quibus Iudaei offendebantur, ideo loqui, ut patrem suum honoret; non ergo propterea contumelia afficiendum se esse. De hac tamen non expostulare, quippe qui *non quaerat gloriam suam,* quoniam *est qui quaerat, et iudicet.*

v. 51. Deinde illud vv. 31. 32, quod Iudaeorum animos in ipsum concitare coeperat v. 33, repetit, et graviore argumento confirmat: Eos, qui, quae ipse docet, exsequentur, non aeternum morituros; nam illud *in aeternum,* non verbo *videbit* ut adverbium, sed nomini *mortem* ut appositum iungitur.

vv. 52. 53. Ex quo gravior Iudaeorum offensio, deque duobus Christum interrogant.

vv. 54. 55. Christus primo secundae interrogationi responsum dat, sed oblique. Neque enim aperte dicit se filium Dei esse, sed *si ego,* inquit, *glorifico me ipsum,* si per me ipsum hanc mihi gloriam arrogo, ut habear pro Dei filio, *gloria mea nihil est,* patiar eam nihili fieri; verum *est pater meus qui glorificat me,* qui mihi illam tribuit, is, inquam, *quem vos dicitis quia Deus vester est, et* tamen adhuc *non cognovistis eum* patrem meum esse. Ast *ego novi eum* utpote patrem, *et,* si id negavero, *si dixero quia non scio eum,* si me filium eius esse infitias ivero, *ero similis vobis mendax.* Habes in his argumentum, unum e multis quae Ioannis evangelium suppeditat, quibus confirmatur Christum Dei filium esse.

v. 56. Respondet deinde primae interrogationi. Quod attinet ad Abrahamum, inquit, quem mortuum esse dicitis, is *exultavit et cetera.* — Non aliud *dies Christi* significat quam diem quo Christus tandem ortus fuerat, vel potius tempus aetatemve qua vixit in terris, in summa Christi praesentiam inter homines. Hanc Abraham vidit, tum mente per fidem illustrata, quum viveret, tum e loco in quo eius et ceterorum hominum piorum animae, ut caelum ipsis a Christo recluderetur, exspectabant.

v. 57. Iesus iam iam annum vitae quartum supra tricesimum expleturus erat, ipsaque oris gravitas dignitasque fortasse efficiebant ut maturiorem is aetatem prae se ferret. Tum, qui eum alloquebantur, qua ipse esset aetate, ignorabant. Adde quod a tribus et viginti saeculis, quot fere fuerunt

inter ortum Abrahami et Christi obitum, non multo magis anni discrepent quinquaginta quam quatuor et triginta; quare illi, quum, utramcumque summam dicerent, aeque bene esset argumento, pleniorem efferre maluerunt. Ceterum vides ut minime concludere liceat Christum tunc temporis quadragesimum vitae annum iam explevisse.

v. 58. Nota illud *sum* tempore praesenti, et Christi personam priorem Abrahamo.

CAPVT IX

1 Et praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate.

2 et interrogaverunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes eius, ut caecus nasceretur?

3 Respondit Iesus: Neque hic peccavit, neque parentes eius: sed ut manifestentur opera Dei in illo.

4 Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.

5 quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.

6 Haec cum dixisset, expuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos eius,

7 et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloe (quod interpretatur Missus.) Abiit ergo, et lavit, et venit videns.

8 Itaque vicini, et qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat, et mendicabat? Alii dicebant: Quia hic est.

9 Alii autem: Nequaquam, sed similis est ei. Ille
vero dicebat: Quia ego sum.

10 Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi
oculi?

11 Respondit: Ille homo, qui dicitur Iesus, lu-
tum fecit: et unxit oculos meos, et dixit mihi: Vade
ad natatoria Siloe, et lava. Et abii, lavi, et video.

12 Et dixerunt ei: Vbi est ille? Ait: Nescio.

13 Adducunt eum ad Pharisaeos, qui caecus fuerat.

14 Erat autem sabbatum quando lutum fecit
Iesus, et aperuit oculos eius.

15 Iterum ergo interrogabant eum Pharisaei quo-
modo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi po-
suit super oculos, et lavi, et video.

16 Dicebant ergo ex Pharisaeis quidam: Non est
hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Alii au-
tem dicebant: Quomodo potest homo peccator haec si-
gna facere? Et schisma erat inter eos.

17 Dicunt ergo caeco iterum: Tu quid dicis de
illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia
propheta est.

18 Non crediderunt ergo Iudaei de illo, quia
caecus fuisset et vidisset, donec vocaverunt parentes
eius, qui viderat:

19 et interrogaverunt eos, dicentes: Hic est filius
vester, quem vos dicitis quia caecus natus est? Quo-
modo ergo nunc videt?

20 Responderunt eis parentes eius, et dixerunt:
Scimus quia hic est filius noster, et quia caecus na-
tus est:

21 quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus: ipsum interrogate: aetatem habet, ipse de se loquatur.

22 Haec dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudaeos: iam enim conspiraverant Iudaei, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.

23 Propterea parentes eius dixerunt: Quia aetatem habet, ipsum interrogate.

24 Vocaverunt ergo rursum hominem, qui fuerat caecus, et dixerunt ei: Da gloriam Deo. nos scimus quia hic homo peccator est.

25 Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio: unum scio, quia caecus cum essem, modo video.

26 Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?

27 Respondit eis: Dixi vobis iam, et audistis: quid iterum vultis audire? numquid et vos vultis discipuli eius fieri?

28 Maledixerunt ergo ei, et dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus.

29 Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit.

30 Respondit ille homo, et dixit eis: In hoc enim mirabile est quia vos nescitis unde sit, et aperuit meos oculos:

31 scimus autem quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, et voluntatem eius facit, hunc exaudit.

32 A saeculo non est auditum quia quis aperuit oculos caeci nati.

33 Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.

34 Responderunt, et dixerunt ei: In peccatis natus es totus, et tu doces nos? Et eiecerunt eum foras.

35 Audivit Iesus quia eiecerunt eum foras: et cum invenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei?

36 Respondit ille, et dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum?

37 Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est.

38 At ille ait: Credo Domine. Et procidens adoravit eum.

39 Et dixit Iesus: In iudicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant.

40 Et audierunt quidam ex Pharisaeis, qui cum ipso erant, et dixerunt ei: Numquid et nos caeci sumus?

41 Dixit eis Iesus: Si caeci essetis, non haberetis peccatum. nunc vero dicitis: Quia videmus. Peccatum vestrum manet.

COMMENTARIVM

Quod Varro scripsit de Terentio, eum *in ethesin palmam poscere* (1), merito de Ioanne dicere licet; sed, si semper in aliis descriptionibus, in hac enimvero quam maxime; cuius ea est

(1) Ap. *Non.* IV. 377.

nativa plane simplicitas ac pelluciditas, ut, si illam declarare magis atque illustrare tentes, nil nisi tenebras offundas.

v. 2. Vnus e crassioribus erroribus, quibus apud Iudaeos vulgus tenebatur, erat ut crederent homines ante ortum in utero matris peccare posse, originem fortasse sortitus ex depravata informatione peccati originalis.

vv. 4. 5. *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*, non verbis modo et doctrina, sed et factis operibusque. Eam ob rem, *donec dies est,* donec haec *lux* mundo affulget, *me oportet operari, et cetera.* Etenim *venit nox*, hoc est, obitus mihi iam imminet.

v. 7. Natatoria *Siloe* sive *Siloam* erant extra urbem, prope murum, qui occasui obtendebatur, murique angulum occasui hiemali obversum (1); recentiores tamen scriptores aiunt sita ea fuisse ab austro, idque ex Flavii Iosephi (2) verbis colligunt. Hoc nomen *Siloe* idem sonat ac *missus,* sed substantivum est, quare proprie *legatum* significat.

v. 14. Salivas palpebris die sabbati illinere vetitum nominatim erat, non quidem lege mosaica, sed iuris peritorum iudicio.

v. 17. Nomen *propheta* in graeco exemplari est sine articulo. Nondum ergo vir, cui Iesus visum restituerat, hunc Christum esse didicerat, etsi unum de prophetarum numero existimaret.

v. 22. *Extra synagogam fieri ἀποσυνάγωγον γενέσθαι* genus erat excommunicationis, qua alicui interdicebatur ingressu synagogae. Lege Io. XII, 42; XVI, 2. Confer I Esd. X, 8; Luc. VI, 22.

v. 31. Non est cur, ut quidam faciunt, de verborum *peccatores Deus non audit* sensu ad veritatem exigendo laboremus, velut si ea vir aliquis numine afflatus protulerit; qualis non erat profecto bonus ille homo. Ceterum, quum appareat ea dicta esse de miraculis faciendis, quumque haec Deus nisi per insigni eximiaque virtute homines efficere haud soleat, nihil in illis verbis deprehenditur quod veritati repugnet.

(1) *Ioseph.* Bell. II. 16, 2; V. 4, 2; 12, 2.
(2) Ib. V 4, 1.

v. 34. Poenam de homine ceperunt, de qua supra v. 22 dictum est.

vv. 35-37. Hominem animo bene compositum et comparatum Christus aperte docet se Dei filium esse. Nota ἔμφασιν verbi *vidisti*, hoc est, visu recepto videre potuisti.

v. 38. Hac in re Christus se talem exhibet, qualem esse dixerat quum homini visum restituere instituit v. 5, huiusque menti lumen affundit quo, quae ipse de se eum docet, is continuo credat. — Nota Ioanni usitatam narrationum clausulam.

v. 39. Documentum captum ex eo quod modo factum fuerat. Christus illud tradit velut aenigma, verbis indidem ab ea re translatis immutatisque. — *In iudicium* εἰς κρίμα, videlicet ad diiudicandum et discrimen constituendum inter utrumque genus hominum. Primum genus est eorum qui, quae scire oportet, propterea nesciunt, quia nemo eos docuit, atque ita ut doceri haud refugiant, itaque non sua culpa. Contrarium huius est alterum genus, qui, quae audiunt atque docentur, nec doceri neque audire vellent. Illos Christus praedicit fore ut fidei lumen illustret, hos vero, quippe istud lumen aversatos, ut tenebrae habeant. Hanc huius aenigmatis interpretationem ea confirmant quae sunt in vv. 40 et 41.

v. 40. Pharisaei, qui animadverterant Christum saepe id agere ut ipsos redargueret doceretque, putarunt se ab eo priori hominum generi annumerari;

v. 41. sed falsi sunt. Etenim, inquit Christus, *si caeci essetis* deque primo illo hominum genere v. 39, *non haberetis peccatum*, non culpae vobis huiusmodi caecitas vertenda foret. *Nunc vero dicitis: Quia videmus;* si ita est, neque tamen, quae videre fatemini, accipere nec credere vultis, vestro vitio caeci fieri dicendi estis, et hoc *peccatum vestrum manet.*

CAPVT X

1. Amen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde: ille fur est, et latro.

2 Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.

3 Huic ostiarius aperit, et oves vocem eius audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas.

4 Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit: et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius.

5 Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum.

6 Hoc proverbium dixit eis Iesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis.

7 Dixit ergo eis iterum Iesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium.

8 Omnes quotquot venerunt, fures sunt, et latrones, et non audierunt eos oves.

9 Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur: et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.

10 Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.

11 Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.

12 Mercenarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispergit oves:

13 mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.

14 Ego sum pastor bonus: et cognosco meas, et cognoscunt me meae.

15 Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem:
et animam meam pono pro ovibus meis.

16 Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc
ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam
audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.

17 Propterea me diligit Pater: quia ego pono
animam meam, ut iterum sumam eam.

18 Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a
meipso, et potestatem habeo ponendi eam: et pote-
statem habeo iterum sumendi eam: Hoc mandatum
accepi a Patre meo.

19 Dissensio iterum facta est inter Iudaeos pro-
pter sermones hos.

20 Dicebant autem multi ex ipsis: Daemonium
habet, et insanit: quid eum auditis?

21 Alii dicebant: Haec verba non sunt daemo-
nium habentis: numquid daemonium potest caecorum
oculos aperire?

22 Facta sunt autem Encaenia in Ierosolymis:
et hiems erat.

23 Et ambulabat Iesus in templo, in porticu
Salomonis.

24 Circumdederunt ergo eum Iudaei, et dicebant
ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Chri-
stus, dic nobis palam.

25 Respondit eis Iesus: Loquor vobis, et non cre-
ditis. opera, quae ego facio in nomine Patris mei,
haec testimonium perhibent de me:

26 sed vos non creditis, quia non estis ex ovi-
bus meis.

27 Oves meae vocem meam audiunt: et ego cognosco eas, et sequuntur me:

28 et ego vitam aeternam do eis: et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.

29 Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est: et nemo potest rapere de manu Patris mei.

30 Ego, et Pater unum sumus.

31 Sustulerunt ergo lapides Iudaei, ut lapidarent eum.

32 Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?

33 Responderunt ei Iudaei: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.

34 Respondit eis Iesus: Nonne scriptum est in lege vestra: quia Ego dixi, dii estis?

35 Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi scriptura:

36 quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum?

37 Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.

38 Si autem facio: et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.

39 Quaerebant ergo eum apprehendere: et exivit de manibus eorum.

40 Et abiit iterum trans Iordanem in eum locum, ubi erat Ioannes baptizans primum: et mansit illic:

41 Et multi venerunt ad eum, et dicebant: Quia Ioannes quidem signum fecit nullum.

42 Omnia autem quaecumque dixit Ioannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.

COMMENTARIVM

Quum huius evangelii partitio in certum numerum capitum non Ioannem habeat auctorem, quod, quae sequuntur, in alio ac superiore capite poni soleant, non hac re cuiquam ius est concludere etiam alio tempore dicta esse. Horum quidem materies alia est ac de qua proxime sermo fuit; quum tamen Ioannes, secus ac solet, nullum indicium praebeat cur haec a prioribus avellenda putentur, dicendum est Christum, post castigatos brevi responsione Pharisaeos, ad alia transitum fecisse. Sed neque alia omnino haec sunt illis quae Christus dicere instituerat, antequam ipsum Iudaei interpellarent, neque nullus est horum ac superiorum connexus. Dixerat enim se ideo venisse, *ut, qui non vident, videant* Io. IX, 39; quae certe doctrinam, qua homines ipse instituebat, significant; ad hanc vero doctrinam, vel profecto ad hanc quoque, ea pertinent quae leguntur in vv. 1-16. Haec igitur non sunt nisi quaedam illorum explicatio. Quin imo, sicut Tirinus scripsit, *occasio huius proverbii seu parabolae fuit expulsio caeci nati e synagoga, quasi ex ovili Dei, ob fidem eius in Christum. Vult enim docere ... se solum ... esse ostium,* quod qui ingreditur, non est cur aliunde expulsus vicem suam doleat.

Christus in prima parte huius capitis sese et ostium ovilis et pastorem esse affirmat.

vv. 1-5. Ac primo in universum de ostio, cui pateat, deque pastore, quid eum agere oporteat, paucis disserit; quae est huius argumentationis propositio. Attende ordinem dictorum, utque primo *ostium*, deinde *furem*, tum *pastorem*, postremo *alienum* Christus commemoret; quem eumdem ordinem mox sequuturus est hanc similitudinem ad se applicans.

v. 6. Verum, quum Christus se haud nominasset, Iudaei *non cognoverunt* τινα ἦν ἃ ἐλαλει *quaenam erant quae loquebatur eis*. Dictiones *quid est, quaenam erant*, in interrogationibus indirectis idem valent ac *quid significat, quonam spectant*. Confer Matth. IX, 13; XII, 7; Marc. IX, 9. Iudaei ergo dicuntur non intellexisse, non quidem verba, quae perspicua erant, sed quo ea spectarent.

Quare Christus rem explicat. In proposita superius similitudine is, qui intrat per ostium, furi, pastor alieno opponuntur; item fit in hac similitudinis explicatione.

vv. 7-10. Christus duabus propositionibus se ostium esse ait, tum per quod qui non intrant, *fures* habendi *sunt et latrones* vv. 7. 8, tum per quod *si quis introierit, salvabitur* omneque bonum consequetur v. 9. Vtriusque propositionis rationem ipse subiungit v. 10. Prioris propositionis ratio est, quia in ovile *fur non venit, nisi ut furetur, et mactet, et perdat;* non ergo *per ostium*, qui Christus est, ingreditur, quippe quia Christus ideo venerit, *ut* oves *vitam habeant et abundantius habeant*, quae est ratio posterioris propositionis.

Vt argumentum, quod est in vv. 7. 8, clareat, animadverte huius propositionem esse in versu 1, assumptionem autem esse hanc: *Omnes, quotquot venerunt, non* intrarunt *per ostium in ovile ovium*, complexionem denique esse in v. 8; assumptionem tamen non enuntiari, sed huius loco in v. 7 rationem afferri qua haec ipsa assumptio demonstretur, nimirum ita: *Ego sum ostium ovium;* atqui *quotquot venerunt*, non per me intrarunt; ergo *non* intrarunt *per ostium*.

Versus 8 subobscurus videtur. In eo pleraque graeca exemplaria habent: *Omnes, quotquot venerunt ante me;* intellige, non qui ante Christum fuerant ac vixerant, non enim idem est *venire* atque *esse* seu *vivere*, sed qui per illam ipsam aetatem *in ovile* iam irruperant ac populi regimen tenebant,

quum Christus docere coepit; quam interpretationem verbum *sunt* confirmat. Illos videlicet Christus designat in quos eum saepe atque acriter invectum legimus, scribas, iurisque peritos, et Pharisaeos. Confer Matth. XXIII, 4. 13-15.

In v. 9 illud *ingredietur et egredietur* est loquendi mos Iudaeorum proprius, quo significatur *vitam suaque negotia libere ac prospere agere.* Confer Num. XXVII, 17; Deut. XXVIII, 6; XXXI, 2; I Sam. XVIII, 16; XXIX, 6; II Sam. III, 25; II Par. I, 10; Ps. XX, 8; Act. I, 21.

vv. 11-16. Deinde pastorem se, imo bonum pastorem, esse Christus demonstrat, docens quid boni pastoris sit proprium v. 11, quidque eo discrepet pastor mercenarius vv. 12. 13. Se ergo bonum pastorem esse, quippe qui, secus ac mercenarius, tum oves suas agnoscat atque ab his agnoscatur, *sicut novit* ipsum *pater et* ipse agnoscit *patrem*, tum *animam* suam ponat *pro ovibus* suis vv. 14. 15. — Disce ex v. 14 ut prius a Deo cognoscamur, quam ipsum cognoscamus, sicut Paullus quoque docuit (1); qua de re denuo agitur in v. 27. Huc quoque simile pertinet quod continuo sequitur; prius enim, non quidem tempore sed ordine, pater filium novit, quam filius patrem. — Ex ovili autem suo non unos Iudaeos esse, sed et alias gentes futuras v. 16. — In vv. 11 et 15 *anima* idem est ac vita, sicut apparet ex vv. 17. 18.

v. 17. Christus eo, quod brevi facturus erat, ut vitam pro ovibus suis profunderet, dignior effectus est quem pater diligeret; non *propterea* tantum, sed etiam *propterea*, peculiari propter hoc amore eum pater prosequitur. — *Animam* idem hic esse ac vitam manifestum est, quum neque corpus animam deponat, neque divina Christi persona eam unquam reliquerit. — Particula *ἵνα ut* non per *ideo ut* exponenda est, sed ita ac si dictum esset *ea conditione ut.*

v. 18. Christus id curat ut Iudaei bene intelligant, quod modo dixerat, sponte sua se mortem obiturum. Recole quae diximus de Io. VII, 33 et VIII, 28. 29, et lege Chrysostomum (2). — *Hoc mandatum accepi a patre meo;* vim atque

(1) Gal. IV, 9. Confer I Cor. VIII, 3; XIII, 12; II Tim. II, 19.
(2) In h. l.

emphasim illius *hoc* expende; quod nisi fiat, videri haec verba possent superioribus contraria. Vis ergo vocis non ea est ac si Christus ita dixisset: *Mandatum accepi a patre meo* ut ponam *eam a me ipso, et potestatem* habeam *ponendi eam, et potestatem* habeam *iterum sumendi eam;* si enim iussus a patre haec fecisset, qui dici potuisset ea facere *a se ipso* illamque *potestatem* habere? sed hunc sensum efficit: Huiusmodi est *mandatum* quod *accepi a patre meo;* mihi, inquam, *hoc* pater mandavit sub ea conditione, si vellem. Neque tamen propterea minus vere Christus dicitur *factus obediens usque ad mortem;* eo enim perfectior et laudabilior obedientia quo liberior. Non tamen repugnarem si cui potius videretur haec ita esse interpretanda, ut *potestas ponendi et iterum sumendi animam* ad Christi voluntatem divinam, ad humanam vero *mandatum patris* pertinere dicantur. Cyrillus certe de hac *potestate* ita pronuntiavit: *Quod quidem proprium est secundum naturam Dei* (1).

vv. 19-21. Narrationis conclusio consilio Ioannis opportuna. — *Verba* in hoc loco videntur, sicut hebraicum דברים, dici pro *rebus;* sic enim ea, quae sequuntur, credere suadent.

Quae sequuntur, gesta sunt duobus fere post mensibus. Interea temporis, sic enim discimus ex evangeliorum collatione, Christus extra Hierosolymam in Iudaea versatus est. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. C. CI.

v. 22. Lege I Mach. IV, 59; II Mach. X, 5-8. Sollemne encaeniorum agebatur octo diebus a die 25 mensis noni, qui est casleu, qui dies illo anno 28 aer. vulg. incidit in diem prid. kal. decembris. Hiemi veteres initium faciebant medio tempore inter aequinoctium autumnum et brumam, hoc est intra dies VII et IV id. novembr.

v. 23. De hac porticu, quae templo ab ortu obtendebatur, est in III Reg. VI, 3 et II Par. III, 4, pluraque leguntur apud Flavium Iosephum.

v. 25. Quorsum me interrogatis cui loquenti non creditis? tametsi, quae loquor, factis confirmem, miraculis videlicet. Christus, sicut alias, ad ipsa sua opera quodammodo provocat. Confer v. 38; V, 36; XIV, 12.

(1) In h. l.

vv. 26. 27. Repetita porro pastoris atque ovium similitudine, qua duobus ante mensibus usus erat vv. 1-16, primo, cur ipsi loquenti Iudaei non credant, caussam esse ait quod isti non sint ex ovibus suis. Hanc deinde caussam hoc argumento demonstrat: *Oves meae vocem meam audiunt;* sed vos non auditis; *non* ergo *estis ex ovibus meis.* Argumenti tamen solam propositionem enuntiat, quod satis est, eamque tacite adducit ex eo quod ipse eas cognoscat; neque enim illae *audire* possent nisi ipse vocaret, sed neque ipse illas vocaret nisi *cognosceret.* Recole quae diximus de v. 14 deque Io. VI, 45. Denique argumentationem concludit addens illud, quod non modo ovium suarum proprium sit oportet, sed et omnium, quae ipsarum propria sunt, praecipuum est, atque affirmat oves suas omnimodis eas esse quae ipsum *sequuntur;* sicut enim alibi (1) demonstravimus, non unum atque idem est Christo credere atque ipsum sequi.

v. 28. *Vt illi* Iudaei, inquit Chrysostomus, *oves esse conarentur,* haec Christus subiunxit, quae ipse ovibus suis bona praestat. — *Dare vitam aeternam* non est nisi unius Dei. — Iam totius argumentationis ad συνθεσιν revocatae ordinem considera. *Ego cognosco* oves meas, inquit, cognitas voco, vocatae *vocem meam audiunt,* audientes credunt, credentes *sequuntur me,* sequentibus *vitam aeternam do eis.*

vv. 29. 30. Confirmat, quod dixerat, neminem oves de ipsius manu rapturum esse. Quid Christo pater dedit? Naturam divinam, nimirum id quod *omnium maximum* est, (vox enim *maius* ostendit, non tantum homines, sed res omnes significari voce *omnibus*), neque vero alteram naturam, sed illam ipsam *unam* quae patris est. Christus ergo et pater *unum sunt.* Quare, quum oves *nemo* possit *rapere de manu patris,* neque de manu Christi potest. — In verbis, *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est* syntaxis inversa est, sicut alibi quoque factum vident qui hoc evangelium legunt. In graeco tamen exemplari ita haec sunt: *Pater meus, qui dedit mihi,* has oves videlicet, *maior omnibus est;* quae licet argumentum magis perspicuum efficere videantur, non tamen sine

(1) In Io. I, 3. 4.

plenioris significationis detrimento. Qui attente haec perpenderit, facile sentiet quo loco habendum sit commentum putantium verbis *unum sumus* voluntatum coniunctionem dumtaxat significari; liquido enim apparet *unum* ad unicam patris filiique naturam, *sumus* ad distinctas personas pertinere. Vox *unum* caussam rationemque significat cur eadem Christo potentia sit ac patri; de potentia agitur non de voluntate, utque argumenti complexio constet, necesse est una atque eadem sit Christi et patris *manus*, hoc est *potentia* atque adeo natura. Confer vv. 34-36. Tum, velint nolint, fateantur illi, necesse est, obvium ac simplicem horum verborum sensum eum esse quem dicimus.

vv. 31-33. Iudaei igitur illud *unum sumus* ita intellexerunt, ut intelligendum esse defendimus.

Quid vero Christus? Audi Chrysostomum: *Neque tamen ille hanc amovit opinionem. Atqui, si id falso opinati fuissent, illos emendare oportebat, ac dicere: Cur hoc facitis? Non haec dixi ut parem paternae meam potentiam indicarem.* Neque modo eam opinionem ex animo Iudaeorum non amovit, sed id curavit atque egit, ut, quod intellexerant nec tamen credere volebant, ipsis probaret, tum in hoc versu, argumento, ut solebat, ex operibus deprompto, tum inferius alia ratione.

vv. 34-36. Ac primo appellationem *filii Dei* sibi iure et merito a se fieri vincit argumento, ut vocare solemus, *a minore ad maius,* quod ita est: Si Deus illos, quos alloquebatur in Ps. LXXXI, 6, Deos appellavit, qui tamen cur appellarentur, nulla alia erat caussa nisi quod Deus illos alloquio suo dignaretur, multo verius ipse Dei filium memet appellaverim, quum Deus, qui me non alloquutus modo est, sed et *sanctificavit, et misit in mundum, pater* mihi sit.

Verum quaedam hic sunt in quae considerationem intendamus. Etenim prima specie hoc argumento non effici illud videtur, quod oportebat, Christum esse Deum, sed e contrario sensum verborum *Ego et pater unum sumus* longe alium esse ac diximus.

Itaque ante omnia animadvertere iuvabit quaestionem non fuisse simpliciter an Iesus Deus esset, sed an esset Deus et homo, an ille, inquam, cui Iesu nomen erat, qui inter Iudaeos

versabatur, quem praesentem hi oculis suis conspiciebant, quem loquentem audiebant, atque adeo qui nil aliud nisi unus de hominum numero esse videbatur, etiam Deus esset, uno verbo, an esset θεάνθρωπος. Audi Iudaeos in ipsum invehentes, *quia,* inquiunt, *tu,* HOMO *cum sis, facis te ipsum* DEVM v. 33. Talem se esse, non Deum tantummodo, Christus credi volebat, talem eum evangelista contra Docetas et Phantasiastas studebat demonstrare. Quapropter Christus, praecise, ut solebat, rem confecturus, ea perstrinxit quibus se θεάνθρωπον esse ostenderet.

Porro autem attendamus, necesse est, ut eorum, quae sunt in v. 36, interpretatio petenda sit ex horum et versuum 30 et 33 collatione. Christus in v. 30 dixerat se et patrem unum esse, hanc Christi propositionem Iudaei in v. 33 *blasphemiam* vocaverant, Christus vero in v. 36 negavit *blasphemiam* esse, quod dixerat, se Dei filium esse; sequitur ut harum duarum enuntiationum *Ego et pater unum sumus* et *Filius Dei sum* unus et idem sit sensus, quum, non hanc, sed illam in v. 30 ipse protulerit, non ergo ad verba, sed ad sensum illud *dixi,* quod est in v. 36, spectare certum sit. Quod si utriusque enuntiationis unus et idem est sensus, necessario concluditur rationem caussamque, cur Christus Dei filius est, non aliam esse quam quod unica sit eius et patris natura.

At enim hoc ipsum est quod illo argumento efficiendum erat, nec tamen effectum videtur, quandoquidem Christus, cur Dei filium se vocet, hanc unam rationem affert, quod ipsum pater sanctificaverit et miserit in mundum.

Atqui hanc ipsam rationem, si penitus in omnes eius partes introspiciamus, sane aptam esse videbimus rei, de qua agebatur, conficiendae, Iesum esse θεάνθρωπον.

Nam, quod ad divinam eius naturam asserendam attinet, nomen *pater* se primum offert; cui nomini emphasin inesse, et quaenam haec sit, facile sentimus, verbisque *quem pater sanctificavit* hunc sensum exhiberi: *Quem is sanctificavit,* qui, non solum Deus, sed *pater* ipsius est. In prima parte connexi, quod est in vv. 35. 36, Christus, narrans cur alii in scripturis sacris dii sint appellati, Deum non aliter nominat quam *Deum;* in altera vero parte, docens cur ipse filius Dei

sit, non Deum, sed *patrem* eum vocat, ita ut haec sententia inde exstet: Si homines, quos Deus alloquitur, Dii appellantur, quidni filius Dei is habeatur cuius ille pater est? Quod igitur Deus Christi pater sit, caussa illa est cur verius Christus filius Dei, unumque cum patre, atque adeo Deus habeatur, quam illi appellentur Dii. Verum an necesse est credere nomina *patrem* et *filium* usurpata proprium in sensum esse? Admodum. Necesse namque est nomina *pater* et *filius* id valeant, quo illae duae propositiones *Ego et pater unum sumus* et *Filius Dei sum* altera pro altera, quemadmodum a Christo factum esse demonstravimus, accipi possit; ast hoc fieri nequiret, si ea nomina non in verum ac proprium sensum acciperentur, si, inquam, non utriusque appellationis ratio ex natura, quae patri et Christo filio communis est, peteretur. Fac enim in prima propositione *unum* non naturam esse, sed, verbi gratia, coniunctionem voluntatum, in altera Deum *patrem*, *filium* Christum appellari secundum adoptionem; num integrum Christo fuisset alteram enuntiationem, sicut fecit, pro altera ponere, et affirmare se hoc alterum dixisse, quum tamen, non hoc, sed illud prius ore protulisset? Hanc huius loci interpretationem confirmatam mox videbimus iis quae sunt in vv. 37-39.

Verbum *sanctificare* nihil aliud Latinis sonare potest quam sanctum efficere quod tale non est. In bibliis tamen amplior huic verbo subiecta notio reperitur, nam id respondet hebraico קדש, quod praeterea significat aliquam rem aut personam ea religione prosequi atque habere quam eius sanctitas exigit, item dare operam ut hoc ipsum alii faciant; ita ut triplex sit huius verbi usus pro hac triplici eius significatione. Quum Deus aliquem sanctificare dicitur, liquet locum esse non posse nisi primae vel tertiae significationi. Vtraque in Christum θεανθρωπον convenit. Nam pater Christum filium sanctum effecit, qua quidem hic Deus est, sanctitatem suam omnem, hoc est ipsam divinam naturam, cum eo ab omni aeternitate communicans, qua vero homo est, humanam eius naturam ὁμοϋπόστατον faciens cum divina. Quomodo autem curaverit ut utramque filii sanctitatem, divinam inquam atque humanam, haec rerum universitas suspiceret ac veneraretur,

audi Paulum id enarrantem: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae,* filium inquam Deum hominem factum, *dicit: Et adorent eum omnes angeli eius* (1).

Qui aliquo mittitur, aliunde mittitur. Sed pater Christum *misit in mundum;* aliunde ergo misit. Si aliunde, iam Christi persona, (haec enim mittitur, non natura), sicut ipse non semel professus est (2), non est *de hoc mundo.* Cui argumento ne quid opponere tentes, illud animadverte, quod, sicut *missus esse* et *venisse in mundum* Christus dicitur quam saepissime, ita vix unquam alius, neque aliter quam verbi immutatione, isque dumtaxat qui aliunde originem habuisse censetur. Quod enim in Io. I, 9 exemplaria latina habent: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* id e graecis sic verti potest: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem, veniens in hunc mundum,* ipsa lux videlicet; isque sensus alteri praestat omnino. Vnus solummodo locus est in quo Christus ita cum patre loquitur de discipulis: *Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum* (3); sed quia de his ipsis proxime dixerat eos *de mundo non* esse. Dei filius a patre missus tunc fuisse dicendus est, quum *descendit de caelis, et incarnatus est, et homo factus est.*

Ceterum, quum Christus, quantum satis est, effecerit appellationem filii Dei sibi vere ac proprie fieri, non est cur quaeratur quamobrem non apertissime pronuntiaverit se filium Dei esse atque adeo Deum non secus ac patrem. Constat eum ab expressa huiusmodi professione suae divinitatis abstinere solitum fuisse.

vv. 37. 38. Perfecto et concluso se unum cum patre filiumque Dei esse, rem Christus, sicut alias, factis confirmat. Confer Io. V, 31 et lege quae diximus de v. 25. Nemo non videt quam ab re fuisset talia argumenta urgere, siquidem nomina *patrem* et *filium* Christus usurpasset in sensum alium eo qui ipsorum proprius est. — Christus demonstrare instituerat *se et patrem unum esse,* sed, quum faceret, illi propo-

(1) Hebr. I, 6.
(2) Io. VIII, 23; XVII, 14. 16.
(3) Ib. XVII, 18.

sitioni hanc alteram substituerat: *Filius Dei sum ;* ex quo illud inferendum esse vidimus, unam atque eamdem esse utriusque propositionis vim et rationem. Quibus duabus haec tertia addenda est: *Pater in me est, et ego in patre,* deque ea item iudicandum, quum conclusio sit argumentationis qua Christus ostendere habebat se et patrem unum esse seque esse filium Dei.

Itaque prima propositione, quae est: *Ego et pater unum sumus,* Christus suam cum patre *consubstantialitatem,* altera propositione, quae est: *Filius Dei sum,* divinam *filiationem,* atque adeo distinctas patris et filii ὑποστάσεις, tertia, quae est: *Pater in me est, et ego in patre, circumincessionem* expressit. De qua postrema, lege quae Thomas (1) scripsit.

v. 39. Probe igitur Iudaei intellexerunt Christum sua argumentatione non aliud confirmare atque ipsis probare voluisse, quam illud ipsum quod *blasphemiam* esse ipsi censebant; qualem profecto nullam ex illis Christi propositionibus esse censuissent, si is de voluntatum coniunctione, de adoptione, deque mutua dilectione esset loquutus.

v. 40. Confer quae dicta sunt de Io. I, 28; III, 23. Christum ipso die festo encaeniorum, aut certe mox ab illo, Hierosolyma discessisse Ioannes narrare videtur.

vv. 41. 42. Nota id quod dicitur de Ioanne Baptista, evangelistae proposito apprime opportunum; itemque clausulam usitatam in hoc evangelio.

CAPVT XI

1 Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariae, et Marthae sororis eius.

2 (Maria autem erat, quae unxit Dominum unguento, et extersit pedes eius capillis suis: cuius frater Lazarus infirmabatur.)

(1) 1. q. 42. a. 5. c.

3 Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.

4 Audiens autem Iesus dixit eis: Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.

5 Diligebat autem Iesus Martham, et sororem eius Mariam, et Lazarum.

6 Vt ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.

7 deinde post haec dixit discipulis suis: Eamus in Iudaeam iterum.

8 Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quaerebant te Iudaei lapidare, et iterum vadis illuc?

9 Respondit Iesus: Nonne duodecim sunt horae diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt:

10 si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.

11 Haec ait, et post haec dixit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed vado ut a somno excitem eum.

12 Dixerunt ergo discipuli eius: Domine, si dormit, salvus erit.

13 Dixerat autem Iesus de morte eius: illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret.

14 Tunc ergo Iesus dixit eis manifeste: Lazarus mortuus est:

15 et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. sed eamus ad eum.

16 Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus et nos, ut moriamur cum eo.

17 Venit itaque Iesus: et invenit eum quattuor dies iam in monumento habentem.

18 (Erat autem Bethania iuxta Ierosolymam quasi stadiis quindecim.)

19 Multi autem ex Iudaeis venerant ad Martham, et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.

20 Martha ergo ut audivit quia Iesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat.

21 Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus:

22 Sed et nunc scio quia quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.

23 Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus.

24 Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.

25 Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio, et vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet:

26 et omnis, qui vivit, et credit in me, non morietur in aeternum. Credis hoc?

27 Ait illi: Vtique Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

28 Et cum haec dixisset, abiit, et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, et vocat te.

29 Illa ut audivit, surgit cito, et venit ad eum:

30 Nondum enim venerat Iesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha.

31 Iudaei ergo, qui erant cum ea in domo, et consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia cito

surrexit, et exiit, secuti sunt eam dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.

32 Maria ergo, cum venisset ubi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius, et dicit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.

33 Iesus ergo, ut vidit eam plorantem, et Iudaeos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, et turbavit seipsum,

34 et dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni, et vide.

35 Et lacrymatus est Iesus.

36 Dixerunt ergo Iudaei: Ecce quomodo amabat eum.

37 Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos caeci nati, facere ut hic non moreretur?

38 Iesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum. erat autem spelunca: et lapis superpositus erat ei.

39 Ait Iesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror eius, qui mortuus fuerat: Domine, iam foetet, quatriduanus est enim.

40 Dicit ei Iesus: Nonne dixi tibi quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?

41 Tulerunt ergo lapidem: Iesus autem elevatis sursum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi quoniam audisti me.

42 ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi: ut credant quia tu me misisti.

43 Haec cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare veni foras.

44 Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes, et manus institis, et facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus: Solvite eum, et sinite abire.

45 Multi ergo ex Iudaeis, qui venerant ad Mariam, et Martham, et viderant quae fecit Iesus, crediderunt in eum.

46 Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisaeos, et dixerunt eis quae fecit Iesus.

47 Collegerunt ergo Pontifices et Pharisaei concilium, et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?

48 Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem.

49 Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam,

50 nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.

51 Hoc autem a semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Iesus moriturus erat pro gente,

52 et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.

53 Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.

54 Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudaeos, sed abiit in regionem iuxta desertum,

in civitatem, quae dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis.

55 Proximum autem erat Pascha Iudaeorum: et ascenderunt multi Ierosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent se ipsos.

56 Quaerebant ergo Iesum: et colloquebantur ad invicem, in templo stantes: Quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autem Pontifices, et Pharisaei mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.

COMMENTARIVM

v. 1. Haec non multo post sollemne encaeniorum evenisse apparet ex v. 8. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CXIII. — Bethania distabat ab urbe Hierosolyma *stadiis quindecim* v. 18, quae sunt duo millia, paullo minus, versus ortum in monte Oliveto. Haec Bethania alia est ac illa, cuius Ioannes supra in Io. I. 28 meminerat; item alia ac quae est in Marc. XI, 1, inque Luc. XIX, 29 et XXIV, 50, quaeque Hierosolyma distabat quinque stadiis. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CXXXII.

v. 2. Ioannes commemorat quod nondum narraverat, sed tamen sciebat notum iam esse compertumque e ceteris evangeliis, quippe qui post ceteros evangelistas scripserit; est enim id quod legitur in Matth XXVI, 6-13, in Marc. XIV, 3-9, et in Io. XII, 1-8. Equidem hanc Mariam aliam esse autumo ac mulierem de qua est in Luc. VII, 37-50, quum ipse Lucas utramque distinguere ac dividere videatur. Confer Luc. X, 38-43.

v. 3. Recole quae annotavimus initio capitis IX.

v. 4. Non quod Lazarus ex hac infirmitate moriturus non esset, sed quia futurum erat ut mortuus haud maneret,

neque eius mors perduraret; tum etiam quia, quod Deus ea infirmitate Lazaro immissa intendebat potissimum, non huius mors esset, sed Christi gloria. — Nota voces *Filius Dei* ὁ υἱος του θεου *(il figlio di Dio)*; item ut Christi gloria sit gloria Dei. — *Per eam* δι' αὐτῆς, per eam gloriam.

v. 6. Illo ipso die, quo hic nuntius Christo perlatus est, Lazarus vivere desiit. Nam Christus accepto nuntio *mansit in eodem loco duobus diebus*. Tertio die Bethaniam venit itinere sexdecim circiter millium. Quum autem illuc pervenisset, audivit Lazarum quarto ante diem mortuum fuisse vv. 17. 39.

vv. 9. 10. Lege quae diximus de Io. I, 39. Christus, quo discipulos securos faceret, hoc simili significavit vivendum sibi etiam esse, necdum obitus sui tempus instare, non ergo timendum, siquid Iudaei in ipsius vitam molirentur.

vv. 11-13. Aliud est verborum immutationibus uti, aliud mentiri. Ipse Ioannes nos docet quid Christus illo verbo *dormit* significaverit.

v. 15. De hoc *gaudeo*, quod *non eram ibi;* gaudeo autem *propter vos*, quia, quum inde abessem, Lazari sorores non id precibus suis vincere potuerunt ut fratri sanitatem restituerem, eoque mortuo occasio mihi data est ipsum ad vitam revocandi, quo viso miraculo fiet *ut* vos magis atque magis *credatis*. Confer vv. 21. 32.

v. 16. Nomen *Thomas* תאום hebraicum idem sonat ac graecum Διδυμος *Didymus*, hoc est *geminus*, *gemellus*. Hic quoque Thomas talem sese exhibuit qualem quum audivit Christum revixisse (1).

vv. 22-24. Martha non audet aperte Christum rogare, tacite tamen id facit, ut fratrem resuscitet. Christus ambigue respondet illum resurrecturum. Martha, ut Christum compellat aperte loqui, ait scire se fratrem resurrecturum *in novissimo die*.

vv. 25. 26. Ex iis, qui in Christum credunt, alii mortui sunt, alii vivunt. Qui mortui sunt, revivent; qui vivunt, non morientur; nam Christus illis est resurrectio, his vita. Sed dubium esse videtur quanam de vita Christus loquatur,

(1) Io. XX, 25.

utrum de illa quae unius animae propria est, quaeque caritate continetur, an quae animae cum corpore communis est, sique de hac altera, utrum quam nunc vivimus, an qua nos aeternum fruituros speramus. De hac postrema Christus loqui non videtur; certe enim de ea loquitur quam quis nunc vivit quam amittere, ad quam revocari potest. Quominus de naturali vita loqui credatur, obstat illud *in aeternum*. Sin de illa quae unius animae est propria, quorsum huius mentio, ubi agebatur de homine a mortuis excitando, ac Marthae respondendum erat loquenti de *resurrectione* quae erit *in novissimo die?* Equidem hunc nodum ita, ut dicam, solvendum esse putarem.

Ego sum resurrectio et vita. Christus videlicet, utpote Deus, per suam ipsam essentiam est id ex quo vita nostra tum primo datur tum redditur, tum quam anima per se ipsam, tum quam una cum corpore vivit. Lege Io. I, 4, et quae in eo loco disputavimus. Haec Christi verba satis erant e quibus Martha fiduciam conciperet fore ut fratri exspectandus non esset *novissimus dies* ut e mortuis suscitaretur. Christi igitur responsio non extra propositum vagabatur aut errabat, sed universe prolata illud quoque complectebatur. Confer v. 40. Ea tamen viam aperuit, qua sermo a vita naturali ad illam alteram animae propriam deveniret; ad illam quippe ea spectant quae sequuntur, sicut apparet ex iis quae annotavimus, moxque explicabimus. — Ne vero perpendere omittas vim verbi *sum* a Christo usurpati; quae quanta sit, plenius intelliges ex enarratione verborum Io. V, 25. 26, quam supra habuimus.

Itaque illa, *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet,* significant fore ut, qui credunt in Christum, si forte accidat ut animae vitam peccando amittant, hanc tamen reciperare possint; quod sine fide fieri non posset, fides namque est iustificationis quasi fundamentum, quod Paulus apprime inculcabat (1), *sine fide autem impossibile est placere Deo* (2). Porro vides ut fides sine caritate esse queat.

(1) Rom. III. 28; V, 1; Gal. II, 16; III, 8. 24; V, 5; Philipp. III, 9; Hebr. XI, 7. Confer Rom. III, 30; IV, 5. 9; IX, 30; X, 6; Gal. III, 11. 26; Col. II, 12; Hebr. X, 38.

(2) Hebr. XI, 6.

Et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum. Nimirum, qui fide et caritate praediti sunt, hi in aeternam mortem non incurrent; non quod caritas, sicut Calviniani somniant, neque amitti neque a fide seiungi valeat, quem sensum superior sententia refutat, sed quia nemo aeternum moritur nisi animae vita prius amissa. — Ecquis vero, nisi Deus, haec de se, ut Christus fecit, pronuntiet atque affirmet?

v. 27. Christus Martham interrogaverat an crederet quae ipse dixerat. At bona mulier, horum sensum minus forte assequuta, aut, rectene intellexerit, dubia, simplicius, quid de Iesu ipsa credat, profitetur, scilicet illud quo, quidquid de Iesu credendum est, continetur. — Considera συνωνυμίαν quam praeferunt appellationes *filius Dei vivi* et *resurrectio et vita.* — Item expende illa *qui in hunc mundum venisti*; ante igitur, quam veniret in hunc mundum, iam ipse erat filius Dei.

v. 32. Confer v. 21. Ambae sorores parem querelam iisdem verbis promunt. Haec vero querela ut modesta, ut simplex, ut nativa, ut apta praesenti animi affectui exprimendo, ut animam ipsam referens!

v. 33. Minime praetereundum illud *turbavit se ipsum,* docens verum hominem Christum esse, sed tamen ita ei omnes animi sui affectus subditos esse, ut ne commoveri quidem sine ipsius imperio possent.

v. 35. Attende miram horum verborum emphasim; eam senties, si consideres quinam is sit qui lacrimatus dicitur.

v. 38. Confer Matth. XXVII, 60; XXVIII, 2 graec. 8; Marc. XV, 46; XVI, 3-5. 8; Luc. XXIV, 3; Io. XX, 5-8.

v. 40. Confer v. 4. Sed quando id dixerat? Tunc, inquam, quum v. 25 ita Martham alloquutus est: *Ego sum resurrectio et vita.... Credis hoc?;* quo horum verborum interpretatio, quam fecimus, confirmatur.

v. 41. Christus ergo patrem tacite fuerat precatus, noveratque se iam, quod petebat, ab eo exorasse. Cur vero id professus sit, proque re impetrata gratias patri palam egerit, ipse caussam aperuit in versu insequente.

v. 42. Nam huius versus sententia sic est: Haec *dixi,* palamque tibi, pater, quod me precantem exaudieris, gratias egi, non velut qui dubius esse quiverim an precibus meis

annuere velles, nam *sciebam quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat, ut* haec audientes *credant quia tu me misisti.* Neque enim Deus annuisset precibus eius qui sese, ut Christus faciebat, a Deo missum praedicaret, nec tamen a Deo missus esset.

v. 43. Simplicior et vividior graeca dictio: Λάζαρε δεῦρο ἔξω *Lazare, huc foras (Lazaro, quà fuori).*

v. 44. Quaerunt qui potuerit Lazarus foras prodire *ligatus pedes et manus.* Scilicet eadem ratione qua mortuus in vitam reverti. Tum necesse non est credere ita eius pedes fuisse colligatos, ut neque paucos gressus, saltem difficulter, alternare posset.

v. 45. Nota narrationis clausulam.

v. 48 Verebantur quippe ne populus, Iesum habens pro Messia, hunc sibi regem crearet.

v. 49. De Caipha deque verbis *cum esset pontifex anni illius,* habes quae legas in Lib. III de Evangeliis Diss. XXVIII. nn. 19. 21. 25 et Diss. XLI. n. 14. — *Vos nescitis quidquam* in vulgarem sermonem ita verteres: *Voi altri non capite niente.*

v. 51. Lege nostrum lib. I de interpretatione Scripturarum sacrarum n. 89.

v. 52. Haec utravis ratione licet interpreteris; vel ut quae sint pars vaticinii, vel a Ioanne addita ac si dicere vellet vaticinium quidem de Iudaeis editum esse, Christum tamen moriturum fuisse *non tantum pro* ea *gente, et cetera.* Prima duarum interpretationum alteram praestat procul dubio. — Quinam hi sint, quos Ioannes *filios Dei* appellat, disces ex Io. I, 12. 13 eque eius loci enarratione quam supra habuimus.

v. 54. Ephrem Iudaeae urbs erat proxima desertis huius regionis. Lege Lib. III de Evangeliis Diss. XLVIII. n. 29. Huc Christus secessit haud multis diebus post Lazarum in vitam revocatum. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CXIII.

v. 55. *Proximum erat pascha,* non quum Christus Ephremum secessit, quod proxime narratum est, sed quum, quae statim sequuntur, acciderunt. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CXIV. CXXX. Imo pascha imminebat, sicut apparet ex v. 56.

CAPVT XII

1 Iesus ergo ante sex dies Paschae venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Iesus.

2 Fecerunt autem ei coenam ibi: et Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo.

3 Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi, et unxit pedes Iesu, et extersit pedes eius capillis suis: et domus impleta est ex odore unguenti.

4 Dixit ergo unus ex discipulis eius, Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus:

5 Quare hoc unguentum non vaeniit trecentis denariis, et datum est egenis?

6 Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea, quae mittebantur, portabat.

7 Dixit ergo Iesus: Sinite illam ut in diem sepulturae meae servet illud.

8 Pauperes enim semper habetis vobiscum: me autem non semper habetis.

9 Cognovit ergo turba multa ex Iudaeis quia illic est: et venerunt, non propter Iesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis.

10 Cogitaverunt autem principes sacerdotum ut et Lazarum interficerent:

11 quia multi propter illum abibant ex Iudaeis, et credebant in Iesum.

12 In crastinum autem turba multa, quae venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Iesus Ierosolymam:

13 acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant: Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel.

14 Et invenit Iesus asellum, et sedit super eum, sicut scriptum est:

15 Noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit sedens super pullum asinae.

16 Haec non cognoverunt discipuli eius primum: sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt quia haec erant scripta de eo: et haec fecerunt ei.

17 Testimonium ergo perhibebat turba, quae erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis.

18 Propterea et obviam venit ei turba: quia audierunt eum fecisse hoc signum.

19 Pharisaei ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit.

20 Erant autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant ut adorarent in die festo.

21 Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilaeae, et rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Iesum videre.

22 Venit Philippus, et dicit Andreae: Andreas rursum, et Philippus dixerunt Iesu.

23 Iesus autem respondit eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur Filius hominis.

24 Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit;

25 ipsum solum manet. si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.

26 Si quis mihi ministrat, me sequatur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.

27 Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc.

28 Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de caelo: Et clarificavi, et iterum clarificabo.

29 Turba ergo, quae stabat, et audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alii dicebant: Angelus ei locutus est.

30 Respondit Iesus, et dixit: Non propter me haec vox venit, sed propter vos.

31 Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras.

32 Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.

33 (hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.)

34 Respondit ei turba: Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum: et quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis?

35 Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum, lumen
in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos
tenebrae comprehendant: et qui ambulat in tenebris,
nescit quo vadat.

36 Dum lucem habetis, credite in lucem, ut fi-
lii lucis sitis. Haec locutus est Iesus: et abiit, et abs-
condit se ab eis.

37 Cum autem tanta signa fecisset coram eis,
non credebant in eum:

38 ut sermo Isaiae prophetae impleretur, quem
dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium
Domini cui revelatum est?

39 Propterea non poterant credere, quia iterum
dixit Isaias:

40 Excaecavit oculos eorum, et induravit cor eo-
rum: ut non videant oculis, et non intelligant corde,
et convertantur, et sanem eos.

41 Haec dixit Isaias, quando vidit gloriam eius,
et locutus est de eo.

42 Verumtamen et ex principibus multi credide-
runt in eum: sed propter Pharisaeos non confiteban-
tur, ut e synagoga non eiicerentur.

43 dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam
gloriam Dei.

44 Iesus autem clamavit, et dixit: Qui credit in
me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.

45 Et qui videt me, videt eum, qui misit me.

46 Ego lux in mundum veni: ut omnis, qui cre-
dit in me, in tenebris non maneat.

47 Et si quis audierit verba mea, et non custo-

dierit: ego non iudico eum. non enim veni ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum.

48 Qui spernit me, et non accipit verba mea: habet qui iudicet eum. sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die.

49 Quia ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, et quid loquar.

50 Et scio quia mandatum eius vita aeterna est. Quae ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

COMMENTARIVM

v. 1. **P**erventum est ad Christi postremos dies vitae. Is Bethaniam venit die 12 mensis martii, septimo hebdomadae, ut nos dies numeramus, ut vero Iudaei, incepto iam die 10 mensis nisanis, primo hebdomadae; hi enim diebus initium faciebant sole occidente; hoc est, sex horis temporariis ante quam ipsi facimus. Ita intelligere oportet verba *προ ἑξ ἡμερων του πασχα* *ante sex dies paschae*. Lege Lib. III. de Evangeliis Diss. XLIX.

v. 3. Interpres latinus easdem graecas voces *μυρου ναρδου πιστικης* in evangelio Marci (1) vertit *unguenti nardi spicati*, in hoc autem loco, servata ipsa graeca voce, *unguenti nardi pistici*. Graecum *πιστικος* significare utrumque potest, *fidum* et *potabilem*. Animadverte in graeco exemplari *πιστικης* esse appositum nominis *ναρδου*, in latinis nominis *unguenti*, nomen enim *nardus* genere est feminino. Illud in hoc loco vel *sincerum* vel *colliquefactum* significat.

(1) Marc. XIV, 3.

v. 5. *Trecentis denariis.* Ast in Marco est: *Plus quam trecentis denariis* (1). Verum Ioannes unum Iudam, qui mussitarit, nominat, Marcus et Matthaeus complures fuisse aiunt. Non omnes illud unguentum aeque care aestimarunt.

v. 6. *Quae mittebantur τα βαλλομενα quae iniicebantur* in loculos. — *Portabat ἐβασταζεν.* Liquet hoc verbo Ioannem significare voluisse ut Iudas pecunias sibi creditas surriperet ac furaretur. Frustra tamen sunt qui notionem quoque *auferre* huic verbo affingere conantur, quae ei subiecta nusquam reperitur, neque in Matth. VIII, 17 (2) neque in Io. XX, 15. Nam *βασταζειν* semper idem valet ac *onus* aliquod *ferre, baiulare;* in hoc autem loco urbane et facete pro *surripere* a Ioanne usurpatum est.

v. 7. Graeca sic sonant: *Sine ipsam; in diem sepulturae meae servavit ipsum,* non illud profudit, ut putas, sed idem fecit ac si servasset ad ungendum corpus meum, quum sepulcro mandandum erit; quae est sententia quam et Matthaeus et Marcus in hanc narrationem retulerunt.

v. 8. Breve enim temporis spatium superest, quo quis huiusmodi officia in me implere queat, non item in egenos, quorum numquam non copia est.

vv. 10. 11. Clausula Ioanni usitata.

v. 12. Istud *In crastinum* dictum est, non more Iudaeorum, dierum initia ducentium a solis occasu, et quibus unus atque idem dies fuit quo Christus primo Bethaniae coenavit ac pernoctavit, deinde Hierosolymam ivit, sed more populorum quibus dies incipiunt noctis medio. Lege Lib. III de Evangeliis Diss. XLIX. n. 4. Itaque Christus Hierosolymam ingressus veluti triumphans est anno aer. vulg. 29, die 13 mensis martii, 10 mensis nisanis, primo hebdomadae. Animadverte ut fuerit ille dies mensis, quo die agnus lege eligebatur proximo sollemni paschatis mactandus (3).

v. 13. Ioannes, secus ac solebat, hebraicum *hosanna* sine explicatione praeteriit. Vox הושענא, vetustioribus Iudaeis

(1) Marc. XIV, 5.
(2) Lege *Patrit.* Lib. I De interpretat. scripturar. sacr. n. 34.
(3) Ex. XII, 3-6.

ignota, recentioribus festiva erat interiectio, vix quidquam, ut huiusmodi vocibus accidere post longam aetatem solet, etymi sui referens; coalescit enim ex הושיע נא *serva, quaeso.* — Ne forte ea, quae Ioannes in hoc loco narrat, minus respondere videantur iis quae ceteri evangelistae, lege Lib. II de Evangeliis Annot. CXXXII.

v. 15. De hoc Zachariae vaticinio, quod depromptum est ex Zach. IX, et cuius non tam verba quam sensum Ioannes retulit, egimus in Commentatione I de Christo Zachariae et Malachiae vaticiniis praenuntiato cap. IV.

v. 16. *Tunc* enim Iesus *aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas* (1). Recole quae annotavimus in Io. II, 22. — Postrema verba huius versus sic explica: *Tunc recordati sunt quia haec erant scripta de eo, et* intellexerunt ut, quae Iudaei *fecerunt ei,* essent *haec* ipsa quae de eo scripta erant, ut, inquam, ipsi Iudaei necopinantes id curaverint, ut illa, quae de Iesu praedicta fuerant, implerentur.

vv. 17. 18. Pro *quando* graeca pagina habet ὅτι *quia;* ast *quando* manifestiorem videtur efficere sensum horum duorum versuum; qui versus exhibent tum id quod e superioribus adducitur, tum eorum caussam.

v. 20. Quae leguntur in vv. 20-36, eodem illo die gesta sunt quo Christus Hierosolymam advenit; id quod apparebit ex iis quae deinceps annotabimus. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CXXXIV. — Interpres latinus *Gentiles* appellare saepe solet qui Ἕλληνες *Graeci* dicebantur. Hi Iudaei origine ac religione erant extra proprias ipsorum regiones inter alias gentes orti ac degentes, qui, quum eorum plerique graeco sermone uterentur, *Graeci* in universum appellabantur. Hi autem solebant subinde Hierosolymam ire ad sacra sollemnia concelebranda.

v. 21. Veri simile est homines exteros nihil antea de Iesu audisse; quare haec cupido eum videndi in his excitata esse videtur grandi concursu, festivis acclamationibus, ceterisque laetitiae signis, quibus ille in urbem inque templum exceptus est. — Liquet verbum ἰδεῖν *videre* in hoc loco usurpatum esse pro *cognoscere.*

(2) Luc. XXIV, 45.

v. 23. Brevis haec Christi oratio, quae continetur versibus 23-28, attente consideranda est. Christus, rogatus ab Andrea et Philippo ut sineret ad ipsum adire illos Graecos qui ipsum noscere avebant, neque annuit nec renuit, multo tamen plus praestitit quam rogabatur; non enim illos ad colloquium admisit, sed effecit ut, quinam ipse esset, patris sui testimonio caelitus dato, tum illi tum ceteri, quotquot praesentes aderant, manifeste comperirent. Respondet quidem Andreae et Philippo, hosque alloquitur, non tamen secreto, sed ita ut omnes audiant; sic enim ipsa materies credere suadet. Patrem illud testimonium mox v. 28 rogaturus exorditur dicens *horam* advenisse *ut clarificetur filius hominis*. Talis *hora* certe ille dies merito dicendus atque habendus erat, tum quia populi concursus ac favor, quo exceptus ipse eo die fuerat, praeclaram admodum patri praebebat occasionem ad hoc testimonium dandum, tum etiam quia eodem illo die Hierosolymam Christus ideo advenerat, ut opus suum consummaret, sicut ipse professus antea fuerat (1), iterumque paullo post v. 27 professus est.

v. 24. Huius versus in graeco exemplari pars sunt ea quae exemplar latinum habet initio versus insequentis usque ad verbum *affert*; ut haec prioribus iungantur, ipsa sententia flagitat. Apprime illud notandum est, ut Christus, statim ac dixerat *horam* adesse ut ipse testimonio patris *clarificaretur*, et antequam id patrem rogaret, mortis, quam proxime obiturus erat, mentionem iniicere hac verborum immutatione voluerit, scilicet ut audientium animos antithesis illa ineffabilis percelleret, quam hae duae notiones consociatae praeferunt, Dei filius mortuus pro hominibus. Recole quae annotavimus in Io. III, 14. Significatio autem verborum immutatorum haec est, Christum mori necesse esse ad id, ut proventura inde bona percipiantur. Hanc proximae mortis suae praedictionem Christus paullo post v. 32 iteravit. Cui praedictioni opportune admodum faciendae locus fuit procul dubio statim ab adventu in urbem abque pompa illa triumphali qua exceptus fuerat.

vv. 25. 26. Ne discipuli, audientes mortem magistro suo imminere animum despondeant, Christus praecavet, monetque,

(1) Matth. XX, 17-19; Marc. X, 32-34; Luc. XVIII, 31-34.

nullo pacto eum, qui ipsius minister est, induci oportere ut ab ipso discedat, ne vitae quidem amittendae metu. Sed primo huius rei rationem exponit v. 25, deinde ipsam rem enuntiat: *Si quis mihi ministrat*, inquit, *me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit*, postremo pollicitationem subiicit qua illos excitet ad rem praestandam v. 26.—*Anima* in hoc loco idem est ac vita; ad id enim Christus ministros suos, quibus ab ipso non discedere fixum est, hortatur, ne vitam, ubi opus sit, amittere pro ipso dubitent, qui in eo iam est ut suam pro ipsis profundat.

Oppositio duorum membrorum, quibus versus 25 constat, ostendit omissa quidem esse in primo membro, attamen ad hoc quoque ea adiuncta pertinere, quae sunt in altero membro, ita ut, suppleto primi membri sensu, propositio talis exsistat: *Qui amat animam suam in hoc mundo, in mortem aeternam perdet eam, et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.* Quibus positis apparet iam, nec pluribus opus est ut intelligamus, de utro amore atque odio, recto ne an pravo, Christus loquatur.

Dubium esse forsitan cuiquam videatur utrum verba *et ubi sum ego, illic et minister meus erit* pars sint hortationis, an insequentis pollicitationis. Equidem primum verius censeo; sic enim credere suadet tum particula *et*, quae cum priore sententia copulat haec verba, a quibus e contrario seiuncta sunt quae sequuntur, tum verbum *honorificabit*, quo, quidquid Christus ministris suis polliceri poterat, comprehenditur, tum denique eorum, qui Christo ministrant, officium plenius expositum, quum ministrorum sit et eum, cui ministrant, *sequi* et apud hunc *esse*.

v. 27. Quod Christo in Gethsemani accidisse narratur (1), id ipsum tunc quoque accidit, ut cogitatio eorum, quae brevi perpessurus erat, animum eius conturbaret. Viden Christum humanorum affectuum capacem, tametsi eo pacto ut hi non commoverentur nisi ubi et quantum ipse sineret. Quam commotionem ipsa eius dicta abruptaeque orationis forma mirifice exprimunt. Huic autem conturbationi, quae tunc Christum incessit, unde occasio facta credatur, nisi ex eo quod ipse

(1) Matth. XXVI, 37. 38; Marc. XIV, 33. 34.

sentiret se iam ibi esse ubi mors acerbissima brevi sibi foret obeunda, interque populum, tunc quidem ipsi festivis vocibus acclamantem, sed qui paucis post diebus eumdem ipsum ad supplicium rapi flagitaturus esset? quae vera magis videbuntur si meminerimus ut paullo ante simile quid Christo acciderit, quum *videns civitatem flevit super illam* (1). Porro autem hac consideratione id confirmatur quod superius v. 20 diximus, haec Christum loquutum esse eodem illo die quo advenerat Hierosolymam. — Nomen *hora* idem illud in hoc loco significat quod in Io. XIII, 1; XVII, 1; Matth. XXVI, 45; Marc. XIV, 41, id est, tempus quo Christus mortem obiret; integra autem sententia, *Pater, salvifica me ex hac hora,* ita intelligenda est ac illa qua supplex in Gethsemani patrem precatus est (2). — Sed quid illud *propterea?* Fac animadvertas Christum gravi angore pressum ita loqui, ut ii solent quorum animi pari modo afficiuntur; saepe enim hi, quae penitus sentiunt percipiuntque, haudquaquam apertis verbis loquuntur, sed, veluti nemini non comperta, praecisis quibusdam obliquisque dicendi formis vix significant. Itaque ne dubites illam vocem ita explicare, ut quae spectet ad id quod continuo Christus patrem precatur initio versus insequentis, utque sensus sit: *Propterea ut patris nomen clarificetur, veni in horam hanc.*

v. 28. Quam rem Christus reputans, oportere inquam se pro patris gloria mortem obire, statim animo suo, pro potestate quam in hunc habebat, imperans, ac naturalem futurorum cruciatuum horrorem superans, in haec verba prorumpit, patremque rogat illud ipsum, quod ut fiat, hos ipsos cruciatus sibi perferendos esse intelligit. — Verum cur Christus, qui ita exorsus fuerat: *Venit hora ut clarificetur filius hominis,* nunc ita precatur: *Pater clarifica nomen tuum,* cur, inquam, non dixit *nomen meum?* Certe, quae huic Deus continuo respondit, *Et clarificavi, et iterum clarificabo,* non est dubitandum dicta de Christo esse; neque enim caussa ulla erat cur ea Deus de se narraret praediceretque, et illa, quae Christus subiecit v. 30, comprobant quod affirmamus,

(1) Luc. XIX, 41.

(2) Matth. XXVI, 39; Marc. XIV, 36; Luc. XXII, 42.

sicut mox demonstrabimus. Equidem hunc, qui prima specie esse videtur, nodum existimo argumentum re ipsa firmissimum esse quo patris et filii consubstantialitas asseratur. Etenim *nomen* in hac Christi prece non vocabulum est quo Deum nominamus, sed divina essentia, nimirum id quod Deus est, uno verbo ipse *Deus*. Recole quae edisseruimus de Io. III, 18. Quo semel posito iam illa difficultas tota evanescat atque omnino dispareat necesse est, si una numero atque eadem sit, sicut re vera est, Christi et patris divina essentia ac natura, planeque idem fuit dicere *nomen tuum* ac *nomen meum;* maluit tamen Christus *tuum* dicere quam *meum*, tum quia, si *meum* dixisset, luculentissimum hoc argumentum consubstantialitatis suae cum patre nequaquam ipsius verba suppeditarent, tum ut profiteretur divinitatem se a patre accepisse, utpote genitum a genitore. Itaque haec illorum verborum sententia est: *Pater, clarifica in me divinam tuam essentiam naturamque, quam mecum totam communicasti quaeque in me tota est; ut unum tecum ego sim, fac omnes intelligant.* Confer Io. XIII, 31. 32; XVII, 1. — Nota illud *filium tuum τον υἱον σου (il figlio tuo)*.

Maxime in loco tale testimonium caelitus Christo datum a patre esse dicendum est, si datum est mox ac ille Hierosolymam advenerat, quo Hierosolymitae admonerentur tandem id agerent, ad quod perpauci dies supererant, ut Christum praesentem interque eos versantem agnoscerent. Simul satis est factum illis Graecis qui Iesum nosse cupiebant v. 20.

v. 29. Ita dixerunt, non quia verba haud perceperint, percepisse enim apparet ex iis quae Christus subiunxit, sed quia vox ita sonuit ac si tonitruum esset.

v. 30. Si ea, quae sunt in fine versus 28, Deus, non de Christo, sed de se tantum loquutus esset, sententia versus 30 haec foret: Deum, non propter Christum, sed propter Iudaeos illa de se ipso narrasse ac praedixisse; utrumque tamen, tum id, quod Christus negasset, tum quod affirmasset, ab re esse videretur, quum nihil in praesenti neque eius quod agebatur, neque Christi, neque Iudaeorum referret meminisse ut Deus sese ipse olim clarificaverit, aut praemoneri fore ut porro clarificaret. Christus ergo significare his verbis voluit sibi

quidem caeleste hoc testimonium datum esse, deque ipso patrem esse loquutum, non tamen adeo ipsius, ut Iudaeorum respectu, quo hi tandem in ipsum crederent.

vv. 31-33. Iuvat animadvertere Christum in toto hoc sermone, quem explanamus, ita loquutum esse, ut qui probe nosset simulque sentiret diem sibi supremum imminere. Itaque, statim ac impertitum ipsi a patre testimonium est, quorsum hoc pertineret, quum declarasset, denuntiat instare iam tempus ut id, ad quod ipse venerat, tandem fiat, iudiciumque inter ipsum ac mundi principem quodammodo committatur, utri mundus addicendus; fore autem ut ipse morte obita adversarium de tyrannide, quam ad id usque in genus humanum exercuerat quaque id presserat, deturbans, et *expolians principatus et potestates,* ac *palam triumphans illos in semetipso* (1), omnia sibi subiiciat. — Verba *Nunc iudicium est mundi* non significant mundum veluti reum iudicio arcessendum, sed, sicut explicuimus, iudicium faciendum quo mundi dominatus, ademptus diabolo, Christo addicatur, iamque tempus adesse quo haec fiant. Benignitatis et providentiae Iesu certe erat id Iudaeis denuntiare statim ac Hierosolymam advenerat. — Particula ἐὰν *si* idem hic valet ac ὅταν *quando.* — Christus iam alias, in Io. III, 14; VIII, 28, verbum ὑψωθῆναι *exaltari* usurpaverat ad mortis, quam obiturus erat, genus designandum; idque ipsum hoc in loco significari Ioannes certiores nos facit, itaque illud verbum Iudaei intellexerunt.

v. 34. Antithesis verborum *exaltari* et *manere in aeternum* ostendit Iudaeos intellexisse verbo *exaltari* eum sensum subesse quem diximus. Hoc ipso autem, quod Iudaei hanc verbi immutationem statim intellexerint, coniicimus usitatam eam fuisse, solitosque illos dicere *exaltari a terra* pro *tolli in crucem.* — Quae Iesus postremo protulerat, haec sunt: *Et ego si exaltatus fuero a terra omnia traham ad me ipsum,* nec se *filium hominis* appellaverat; quam quidem appellationem sibi fecerat ipso huius sermonis initio v. 23, sed ita fecerat, ut non manifesto appareret sibi, non alii, eam facere. Hinc Iudaeorum dubitatio, quemnam ille designare vellet. Conii-

(1) Col. II, 15.

ciebant hunc *filium hominis* non alium esse quam Messiam; vix dubitare poterant quin Iesus sese hac appellatione, sicut alias fecerat, tunc quoque signaret; ast opinio, quod Christus mansurus esset *in aeternum*, hoc est numquam moriturus, ipsos animi pendere cogebat. Quae opinio originem habuit ex perperam intellectis praedictionibus de Christi regno aeternum duraturo in libros sacros relatis. — Nota nomen *legem* factum aliis bibliorum partibus ac Pentateucho; quod idem fieri videas in Io. X, 34 et XV, 26.

vv. 35. 36. Si quis haec obiter legat, putabit Iesum Iudaeorum interrogationi respondere omisisse, aliaque omnia, ac rogabant, eos docuisse. Non tamen ita est. His enim verbis illud eos monuit, quod si facerent, iam nulli dubitarent *quis* esset *iste filius hominis*, aut quo pacto hunc *exaltari* oporteret, tametsi *Christus* mansurus esset *in aeternum*. Enimvero frustra Iesus respondisset se eum esse quem *filium hominis* appellabat et de quo talia dicebat; minime namque Iudaei credidissent. Quapropter supervacaneum item erat exponere ut Christus et mortem obiturus esset et aeternum regnaturus. Itaque Iesus id fecit, quod plerique omnes viri prudentes solent, ut quaestionibus, quibus directe respondere nil prodest, ea, quae opportuniora magisque ob rem sunt, subiiciant. — Vox *modicum*, sicut ipsa interpunctio exemplarium vulgatorum docet, non est appositum nomini *lumen*, sed adverbium; graeca enim sunt: Ἐτι μικρον χρονον το φως ἐν ὑμιν ἐστι *Etiam parvum tempus lumen in vobis est;* Iesus quippe paucis post diebus moriturus erat. — *Dum lucem habetis, credite in lucem;* dum etiam aliquo tempore, sed brevi, ipse mea doctrina vestris mentibus lumen fidei affundere pergo, hoc lumen tandem excipite, eaque credite quae vobis tali lumine illustratis cernere datur. Recole quae de hoc loco deque nominibus *lumine, luce, tenebris* edisseruimus in Io. I, 4. 5. — Haec monita minus provide dilata fuissent in diem alium illo quo Iesus Hierosolymam venerat; iam tum enim dies nisi admodum pauci supererant quibus Hierosolymitae, quae monebantur, exsequi possent.

Hac Christi hortatione, apprime consilio ac proposito Ioannis opportuna, is finem facit iis describendis quae ille gessit

ac docuit antequam diem viveret supremum; mox enim ad illa transit quae supremo hoc die gesta sunt. Reliquum huius capitis apparet esse historiae huc usque conscriptae conclusionem, qua Ioannes Iudaeos incusat, alios pervicacis animi, alios pusilli, qui, quamquam tot tantisque argumentis ac signis coacti ut in Christum crederent, id tamen vel detrectarent, vel palam profiteri vererentur, subiiciens aliquot Christi verba utrisque commonefaciendis peridonea.

v. 37. Nota primam hanc conclusionis universae partem illis clausulis prorsus oppositam quibus singulas narrationes absolvi a Ioanne saepe animadvertimus,

v. 38. ex qua tamen is novum in rem suam argumentum depromit, ostendens ut Iudaei vel hoc ipso, quod Christo fidem detrectarent, oraculum impleverint, unum e multis de Christo olim editis, quod est in Is. LIII, 1,

vv. 39. 40. itemque alterum, quod legitur in Is. VI, 10. — Cave ita versum 39 intelligas, ac si ipsum vaticinium caussa fuerit cur Iudaei Christo non crederent. Non hoc certe Ioannes dicere voluit. Sed sensus est fieri non potuisse ut non id impleretur, quod per Isaiam Deus futurum praedixerat; cur autem praediceret, caussam ex eo fuisse, quod ita futurum esse praevideret. Lege Lib. III de Evangeliis Diss. XV. n. 55. — Legens versum 40 fac memineris eius, quod Hieronymus ait, *in omnibus scripturis sanctis . . . apostolos . . . non verba considerare sed sensum, nec eadem sermonum calcare vestigia, dummodo a sententiis non recedant* (1).

v. 41. Luculentissimum testimonium de Christi divinitate a Ioanne perhibitum. In hoc versu pronomina *eius* et *eo* non alium quam Christum designant nec designare possunt; Ioannes ergo narrat Isaiam et Christi gloriam vidisse et de Christo loquutum esse. Atqui Isaias, quum illud predixit quod Ioannes commemorat, ipsum Deum huiusque gloriam viderat, deque Deo loquebatur; sic enim eius verba sunt: *Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum* (2), in quibus *Dominum* redditum est pro hebraico nomine Dei proprio at-

(1) In Am. V, 27.
(2) Is. VI, 1.

que ineffabili יהוה. Sequitur ut Christus ab Isaia aeque ac a Ioanne Deus habitus sit; Isaiae enim verba de Christo dicta esse, quum Ioannes affirmet, nefas est dubitare. Lege Eusebii Demonstrationem evangelicam VII. pp. 310. 312; IX. p. 454.

vv. 42. 43. Altera conclusionis universae pars. — Lege quae diximus de Io. IX, 22. Sensus versus 43 est hos viros principes maluisse gloria, qua inter suos cives erant, non excidere, quam hac posthabita illam, quae Deo debetur, curare.

Postremo Ioannes, quo tum iis, qui in Iesum non credebant, tum qui, etsi crederent, id tamen profiteri verebantur, suadeat saniora sapere, Christi verba vv. 44-50 affert ad hanc rem maxime pertinentia; quibus illi doceantur primo quid sit credere in Christum vv. 44. 45, secundo quorsum Christus inter homines venerit quamque magno horum bono, tertio quid boni iis contingat qui in eum credunt v. 46, quid denique mali maneat eos qui non credunt, cuius postremi ratio fusius, sicut alibi (1) a Christo factum vidimus, exponitur, utpote Iudaeorum pervicaciae retundendae opportunior vv. 47-50. — Prorsus incompertum est quo die Christus haec loquutus sit, sed etiam sit ne brevis aliqua Christi oratio quondam ab ipso habita, an summa eorum quae is docere solitus fuit. Illud constat haec a Ioanne afferri, non ut historicus solet, sed ut actor.

vv. 44. 45. Propositio principii, ex quo illi discant quam gravi errore abrepti sint. Horum versuum interpretationem illa suggerunt quae sunt in Io. VIII, 19; X, 30, quaeque de illis diximus. Versus 45 nos docet quomodo versum 44 intelligere oporteat. Etenim ratio, cur, qui videt Christum, videat illum qui ipsum misit, alia certe non est nisi quia Christus et pater, qui eum misit, unum sunt. Eadem igitur haec ratio est cur, qui credit in Christum, credat in illum qui Christum misit. Quare haec Christi verba, *qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me,* non secus explicanda sunt ac illa, *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me* (2); quod-

(1) Io. V, 30.
(2) Ib. VII, 16.

que in his negatur, non simpliciter atque omnimodis negatur, si enim id fieret, pugnantia Christus dixisset, sed ita negatur, ut affirmationis quasi quidam fines ac termini negatione constituantur. Sensus ergo sic est: Eos, qui credunt in Christum, non in hunc solum credere, sed hoc ipso, quod in hunc credunt, credere simul in Deum patrem qui Christum misit; id quod non alia ex caussa esse potest, nisi quia Christus et pater unum sunt.

v. 46. Vt hominum generi universo Christi adventus fuerit utilis ac salutaris, utpote cuiusdam quasi lucis, qua qui se illustrari student, maximo suo bono id faciant. Hae *tenebrae* in evangelio Ioannis, sicut alibi (1) argumento ex his ipsis verbis deprompto demonstravimus, lumini fidei, *quae per caritatem operatur,* opponuntur, nec *privative* solum, sed *contrarie,* illamque conditionem significant qua homines sunt qui in Christum credere negant. Christus fidei lumine hominum mentes perfudit, ut in ipsum crederent, utque credentes ex illiusmodi tenebris eriperentur.

vv. 47. 48. Qui vero credere atquo illa luce illustrari recusant, his eadem illa ipsa lux in perniciem cedet. In v. 47 Christus ait non se hos iudicaturum, quod et alias in Io. III, 17 professus est, eamdemque, ac tunc, caussam affert. Quinam ergo eos iudicabit, id Christus praenuntiat in v. 48. *Sermo, quem locutus sum,* doctrina videlicet, ex qua fidei lumen mentibus hominum affulgebat. *Ille iudicabit eum in novissimo die,* tali modo illa ipsa lux, quae credentibus in Christum saluti est, exitium afferet non credentibus.

v. 49. Vnde tanta auctoritas Christi *sermoni.* Confer Io. V, 19. 22. 27. 30, et horum interpretationem quam supra fecimus. Christus loquebatur qua homo erat; loquela, inquam, vocisque sonus erat hominis. — Discrimen inter *dicere* et *loqui* lexica te docebunt.

v. 50. Ratio cur in v. 48 Christi *sermo* iudicaturus dicatur eos qui illius *verba* non accipiunt. Nam Christus non aliud loquutus est, quam quod pater ipsi mandaverat ut loqueretur; unum igitur atque idem est Christi *verba* non accipere ac

(1) In Io. I, 4. 5.

patris *mandatum*. Sed patris *mandatum vita aeterna est*. Qui ergo Christi *verba* non accipiunt, hoc ipso aeterna vita exsortes sese faciunt. En qua ratione Christi *sermo* de his iudicet. Postrema sententia complexio est, non sententiae proxime superioris, sed eorum quae sunt in v. 49.

CAPVT XIII

1 Ante diem festum Paschae, sciens Iesus quia venit hora eius ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

2 Et coena facta, cum diabolus iam misisset in cor ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotae:

3 sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit:

4 surgit a coena, et ponit vestimenta sua: et cum accepisset linteum, praecinxit se.

5 Deinde mittit aquam in pelvim, et coepit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat praecinctus.

6 Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes?

7 Respondit Iesus, et dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.

8 Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in eternum. Respondit ei Iesus: Si non lavero te, non habebis partem mecum.

9 Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed et manus, et caput.

10 Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes.

11 Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum: propterea dixit: Non estis mundi omnes.

12 Postquam ergo lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua: cum recubuisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis?

13 Vos vocatis me Magister, et Domine: et bene dicitis: sum etenim.

14 Si ergo ego lavi pedes vestros,Dominus, et Magister: et vos debetis alter alterius lavare pedes.

15 Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.

16 Amen, amen dico vobis: Non est servus maior Domino suo: neque apostolus maior est eo, qui misit illum.

17 Si haec scitis, beati eritis si feceritis ea.

18 Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim: sed ut adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum.

19 Amodo dico vobis, priusquam fiat: ut cum factum fuerit, credatis, quia ego sum.

20 Amen, amen dico vobis: Qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit.

21 Cum haec dixisset Iesus, turbatus est spiritu: et protestatus est, et dixit: Amen, amen dico vobis: Quia unus ex vobis tradet me.

22 Aspiciebant ergo ad invicem discipuli, haesitantes de quo diceret.

23 Erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.

24 Innuit ergo huic Simon Petrus: et dixit ei: Quis est, de quo dicit?

25 Itaque cum recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei: Domine quis est?

26 Respondit Iesus: Ille est, cui ego intinctum
panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Iudae Simonis Iscariotae.

27 Et post buccellam, introivit in eum satanas. Et dixit ei Iesus: Quod facis, fac citius.

28 Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei.

29 Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: Eme ea, quae opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis ut aliquid daret.

30 Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo. Erat autem nox.

31 Cum ergo exisset, dixit Iesus: Nunc clarificatus est filius hominis: et Deus clarificatus est in eo.

32 Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso: et continuo clarificabit eum.

33 Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quaeretis me: et sicut dixi Iudaeis: Quo ego vado, vos non potestis venire: et vobis dico modo.

34 Mandatum novum do vobis: Vt diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem.

35 In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

36 Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Respondit Iesus: Quo ego vado, non potes me modo sequi: sequeris autem postea.

37 Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam.

38 Respondit ei Iesus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec ter me neges.

COMMENTARIVM

Christum pridie, quam cruci figeretur, pascha celebrasse idque eodem ipso die ac Hierosolymitas, die inquam 17 martii, feria V, demonstravimus in Lib. III de Evangeliis Diss. L, item ostendimus coenam, de qua est in capite XIII evangelii Ioannis, non aliam esse quam epulum paschale cui Christus accubuit illo die. Huic epulo initium fieri haud licebat ante primas tenebras. Lege Lib. III de Evangeliis Diss. L. n. 13. Christum accubuisse, ut primum licuit, tum ea, quae per noctem insequutam gesta sunt, credere suadent, tum Lucas testatur his verbis: *Et* CVM FACTA ESSET HORA, *discubuit* (1). Quae ergo leguntur in hoc capite, gesta sunt intra horas primam et alteram ab occasu solis, quum nobis quidem dies 17 martii feriaque quinta etiamtum iret, sed Iudaeis dies festus primus azymorum, quintus decimus mensis nisanis, feriaque sexta iam essent. Lege Lib. III de Evangeliis Diss. LII. cap. IV.

v. 1. *Ante diem festum paschae* vel, ut graeca sonant, *Ante sollemne paschae.* Vt modo dictum est, dies festus Iudaeis iam inceperat. Verum Ioannes, quippe qui haec narraret sexaginta amplius post annis quam gesta fuerant, de-

(1) Luc. XXII, 14.

suetus moribus Iudaeorum, initium diei, non ut hi sole occidente, sed ut nos noctis medio facere iam solebat; maxime quod, non Iudaeis, certe non his unis, sed et ex alia gente Christianis scriberet. Lege Lib. III de Evangeliis Diss. L. nn. 4. 23. Alias quoque Ioannes dies similiter designavit in Io. XII, 12 coll. 1-11 et in XX, 19.

Qui aiunt nullam eucharistiae institutae mentionem fieri a Ioanne, his refelluntur quae legimus in hoc versiculo, et de quibus iuvat in hoc loco eadem edisserere quae in alio (1) annotavi. Horum sensus integer est atque absolutus, ut nihil ei desit, nec a prioribus ulla ratione dependet, sed neque a posterioribus; recta autem ac simplex enuntiatio haec est: *Ante diem festum paschae Iesus suos in finem dilexit.* Quis autem haud sentiat ut Ioannes his verbis aliquid significare velit grande omnino, insigne, novum, ad id indictum atque inauditum? Quid vero illud? Sive verba *in finem* idem sonent ac *usque ad exitum vitae*, sive, quod longe verius est, idem ac *adeo ut nihil supra* (2), specimen aliquod eximium atque indicium amoris erga suos, quo Christus flagrabat, ab ipso exhibitum significari his verbis manifestum est. Nisi autem eucharistia sit, aliud hoc amoris specimen atque indicium esse nequit quam quod statim narratur, ut Christus laverit pedes discipulorum. Grande quid profecto hoc fuit, sicut grande erat quidquid Christus agebat, non tamen adeo ut ita de hoc Ioannes loqueretur, velut si non alia praeter hoc eaque longe grandiora ac perenniora amoris monumenta Christus suis tradiderit, atque adeo ipso supremo vitae suae die, illaque ipsa hora, eucharistia instituta. Haec igitur, eucharistia inquam, argumentum illud est, divina sapientia excogitatum, quo Christus suos a se *in finem* diligi omnimodis evicit *ante diem festum paschae,* idque est quod Ioannes indicat illis verbis. Quam interpretationem ipsa verborum emphasis comprobat, eaque confirmant quae Ioannes de coena ita subiungit, ac si hanc iam commemoraverit nemoque, quanam de coena loquatur, non intelligat. Ad haec idem is annotat ut

(1) De Evangeliis L. III. Diss. L. n. 17.

(2) Lege *Mazochii* Spicileg. bibl. in h. l.; *Agelli* Prooem. in Psalm. p. 9.

Iesus *in finem* suos dilexerit, hoc est, dilectionis signum suis exhibuerit, propterea *quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad patrem;* quibus in verbis illud *venit* est tempore praeterito pro graeco ἐλήλυθεν. Nonne autem sentis ut haec designent postremas horas vitae Christi, utque caussam rationemque suggerant multo opportuniorem eius, quod in postrema hac coena Christus gessit, ac suis veluti testamento legavit, quam cur pedes discipulorum abluerit?

Quod si quaeras cur non apertius Ioannes de eucharistia instituta loquutus sit, caussam leges in Lib. I de Evangeliis cap. IV. n. 27; nimirum illam ipsam cur non fere quidquam narraverit eorum quae a ceteris evangelistis narrata iam fuerant.

vv. 2. 3. *Et coena facta.* Lege Lib. I de Evangeliis c. IV. n. 27. Haec verba vel per se ipsa manifesto refutant eos qui contendunt a Christo discipulorum pedes lotos esse ante confectam eucharistiam, praesertim si illud maneat, quod supra demonstravimus, Ioannem in priore versiculo eucharistiae institutionem perstrinxisse. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CLX et Augustinum de Consensu evangelistarum L. III. §§ 2. 3. Haud multis ante aetatibus exstiterunt qui, narrationum in hoc inque ceteris evangeliis descriptarum seriem et connexionem insuper habentes aut certe minus reputantes, primi omnium affirmarent lotionem illam pedum symbolum quoddam atque imaginem esse integritatis et puritatis animi qua ad eucharistiam accedere oportet. Id vero non alio pacto vincere poterant nisi si Christus discipulorum pedes ante abluerit quam eucharistiam conficeret. Vt ergo illud vincerent, hoc ita factum esse contenderunt, pio quodam animi sensu ducti, si modo pius is sensus haberi queat, quo qui ducuntur, scripturarum sensum pervertere necesse habent, atque ipsos scriptores sacros alios aliis pugnantium more committere. Quo illa lotio pertinuerit, quo Christus id agens spectarit, ipse nobis aperuit in vv. 11-14, alio, inquam, prorsus ac ad animi comparationem qua sint oportet qui ad eucharistiam accedunt. Nullo autem pacto ferendum, quod illi audent, ut, quum minus opportunae pietatis sensibus obsequi student,

negent ullam eucharistiae institutae mentionem a Ioanne factam esse.

In v. 2 sententiae ordo secundum graeca verba sic est: *Et coena facta, quum diabolus iam misisset in cor Iudae Simonis Iscariotae ut eum traderet.*

In v. 3 Deus a Ioanne *ὁ πατηρ pater* simpliciter et absolute appellatur, Christi. videlicet. Verbis ἐξελθειν *ἀπο θεου exisse a Deo*, quae sunt in v. 3, aeque ac horum geminis ἐξελθειν ἐκ του θεου *exisse ex Deo*, ἐξελθειν παρα του θεου *exisse de Deo*, quae verba de uno Christo dicta, neque alibi quam in Ioannis evangelio leguntur, manifestum est significari aliquid uni Christo proprium; quid autem nisi originem, divinam scilicet, quam is cum nemine communem habet? Neque enim haec verba credi possunt idem valere ac *legari a Deo*, tum quia numquam de aliis Dei legatis dicuntur, tum quia ipsorum verborum vis huic rei significandae apta esse non videtur.

Quaeritur cur Ioannes, descripturus ut Christus discipulorum pedes laverit, haec memoraverit, quae in his duobus versibus legimus, eademque quasi quoddam narrationis exordium usurpaverit. Ratio procul dubio ea fuit, ut, qui hanc paginam lecturi essent, hi, et malum discipuli animum, de quo in v. 2, et infinitam Christi potentiam divinamque naturam, de quibus est in v. 3, reputantes, magis ac magis Christum admirarentur discipulorum pedes, sicut mox describitur, despectissimi mediastini aut mancipii more abluentem.

Vt in tota narratione, quae sequitur vv. 4-11, simplicitas illa Ioannis propria et veritatis index certissima splendet, ita, in Petri dictis vv. 6. 8. 9 animi sensus affectusque ut sponte sese prodant, quisque facile videt.

v. 7. *Scies autem postea* μετα ταυτα *post haec;* quo enim id, quod Christus agebat pertineret, ipse *postea* significavit in vv. 12 seqq.

v. 8. *Si non lavero te et cetera.* Haec non de illa pedum ablutione dici manifestum est, sed Petro illam renuente Christus inde occasionem cepit eum nosque docendi necessitatem alius lotionis, nimirum eius qua idem ipse Christus hominum animas abluturus erat.

v. 10. Item occasione e Petri verbis petita Christus his respondens curam nos docet leviores quoque animi maculas abstergendi, quam gerant oportet qui gravioribus carent, ac tacite affirmat neminem esse qui nihil illiusmodi habeat quod abstergat. *Et vos mundi estis;* assumptio, qua efficitur Petrum, qui, *non tantum pedes, sed et manus et caput* lavanda offerebat, ceterosque discipulos Christi non indigere *nisi ut pedes* lavent. — *Sed non omnes;* quae quorsum spectent, Ioannes ostendit in insequente v. 11, hisque Christus Iudam commonere oblique coepit, quod exinde pluries atque apertius fecit.

vv. 12 seqq. Quid Christus sibi voluerit ea re quam egerat, ipse explicat; argumentationis autem, qua utitur, ductus evidens est. Qui ergo aiunt illa pedum lotione animi puritatem significatam esse qua sint oportet qui ad eucharistiam accedunt, proptereaque, contra ac ex evangelistis compertum habemus, contendunt discipulorum pedes a Christo ablutos esse ante eucharistiam institutam, hi rem aliter ac ipse Christus interpretantur. Quod si dicant utrumque fuisse significatum, eos rogabimus ut nos doceant unde id didicerint, tum caussam aperiant cur Christus, potiorem significationem silentio praeteriens, alteram dumtaxat manifestaverit.

v. 14. Solum de pedibus invicem lavandis Christus loquutus est; nemo tamen non intelligit quid ipse nobis praeceperit; scilicet ea nos humilitate esse oportere, ut omne genus officia ac munera, quamtumvis despecta, implere, quae mutua caritas suadet, parati simus;

v. 15. maxime quod ipse hac in re exemplo suo praeiverit.

v. 16. Ratio cur de Christo exemplum capiamus.

v. 17. Quid inde boni nobis exspectandum. — *Beati* ERITIS, non *estis;* haec ergo non pertinent ad priora verba *si haec scitis,* sed ad posteriora *si feceritis ea.*

v. 18. *Non de omnibus vobis dico* vos beatos futuros si, quod praecipio, observetis, quum sit e vestro numero qui in animo haud habet illud observare, idque me non latet, nam *ego scio quos elegerim,* perspectum habeo quales ii sint quos apostolos creavi. *Sed* eum quoque elegi *ut adimpleatur scriptura. et cetera.* — De verbis *ut adimpleatur,* lege, quae disputavimus

in Lib. I de Interpretatione scripturarum sacrarum nn. 306-310. 357. 407 seqq. et in Lib. III de Evangeliis Diss. XV. n. 55; Diss. XVII. nn. 25 seqq. 32 seqq. — Scripturarum verba, a Christo allata, deprompta sunt ex Ps. XL, 10; ea David literali sensu de se dixerat, spiritali de Christo, cuius typus erat. Ioannes haec ex hebraeo ipse transtulit; hinc leve illud discrimen quod praeferunt ut in evangelio leguntur utque in graeca et latina psalmi translatione. Graecum verbum apud Ioannem est ἐπῆρεν *levavit,* tempore praeterito, ut est in ipso psalmo. — Christus denuo Iudam obliqua commonitione in viam reducere tentat.

v. 19. Secundum illud Isaiae: *Annunciate, quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia dii estis vos* (1). — De verborum *quia ego sum* vi et significatione diximus superius in Io. VIII, 24. 28.

v. 20. Verbum *accipere* redditum est pro graeco λαμβάνειν, quod in hoc loco non significat *excipere hospitio*, sed, sicut in Io. I, 12 et V, 43, qualis quis est qualemque se esse ait, gradu, conditione, natura, talem eum agnoscere proque tali habere.

Vt huius versus connexum cum proxime superioribus cumque insequentibus perspiciamus, animadverte utrorumque materiem esse Iudae facinus; ergo ad hoc idem facinus hic versus 20 spectet necesse est. Qua id fiat, nemo melius quam Cyrillus explicuit. Scilicet his quoque Iudam tecte commoneri: Videat quid agat; nam, quo quis loco Iesum habet, eodem et Deum huius patrem habere existimandus est. Christus utitur simili: Sicut *qui accipit,* inquit, *si quem misero, me accipit,* ita *qui me accipit, accipit eum qui me misit;* ut tacite sic concludat: Qui ergo me non accipit, neque eum accipit qui me misit, hoc est, neque Deum agnoscit. *Nolens enim,* inquit Cyrillus, *ut videtur, aperte dicere, quod alibi dixit: Qui non honorificat filium, non honorificat patrem* (2), ἐπὶ τὸ εὐφημότερον *ad id, quod honestius est, se convertit.*

Verba, *qui accipit si quem misero, me accipit* non ita intelligenda sunt ac si de excipiendis apostolis ageretur, cui rei

(1) Is. XLI, 23.
(2) Io. V, 23.

commendandae non is locus erat, sed sunt quoddam proverbium, quod etsi, sicut fieri subinde solet, Christus primam verbi personam usurpans protulerit, proferre tamen sic quoque potuisset: Qui accipit eum quem quis misit, hunc accipit; non, inquam, Deus mittens et Christus missus comparantur cum Christo mittente et discipulis missis, sed cum quocumque mittente et eo qui mittitur. Quam rem considerasse etiam ideo iuverit, ne quis hoc simili, quo Christus usus est, abutatur ad ipsius Christi divinitatem impetendam.

v. 21. Si versum 20 ita, ut fecimus, explices, huius versus 21 et superiorum versuum connexus per se patebit. — Nota Christi *spiritum* praeditum iisdem affectibus quibus omnium hominum animi. — Christus intra illius coenae horam se a discipulo prodendum esse aperte ter praedixit; haec praedictio tertia fuit. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CLVII.

v. 22. Ibidem et in Lib. III. Diss. L. n. 12 dissolutam invenies quaestionem quomodo, quod in hoc versu narratur, componi queat cum illis quae legimus in Matth. XXVI, 25.

vv. 23-25. Nunc primo Ioannes de se loquitur, sed, sicut semper, veluti de alio quopiam, seque designat usitata appellatione discipuli *quem diligebat Iesus.* Lege Lib. I de Evangeliis c. IV. nn. 2. 3. 6. — Veteres, non sedentes, sed accumbentes coenabant. Lege Lib. III de Evangeliis Diss. L. n. 15. — Versus 24 graece sic est: *Innuit ergo huic Simon Petrus sciscitari quis esset de quo dicit;* versusque 25: *Accidens autem ille super pectus Iesu, et cetera.*

v. 26. Petrus innuerat Ioanni, Ioannes Iesum secreto interrogaverat; Iesus ergo item secreto respondit, itaque ut ceteri responsum non audirent.

v. 27. Confer v. 2. Lege Lib. III de Evangeliis Diss. L. nn. 7 - 9.

v. 29. Lege ib. nn. 7. 13.

vv. 31. 32. Iis, quae Christus mox perpessurus erat, initium Iudas fecit e coenaculo egrediens ad proditionem, quam pactus erat, exsequendam; hinc illud *Nunc.* Christus de ea re, veluti iam facta sit, loquitur, utens tempore verbi praeterito pro praesenti. Quae sibi iam imminerent, cruciatus, contumelias, necem silentio praeteriens, gloriam, quam ex

his caperet, praedicit. Audi Cyrillum haec exponentem: *Nonne et prius clarificatus est, cum miracula faceret? . . . Tamen consummatio gloriae in passione sita erat, quam pro mundi vita sustinuit, et in eo quod per se ipsum resurrectionis omnium modum innovavit . . . . Factus igitur obediens Deo ac patri usque ad mortem, mortem autem crucis, iuxta Pauli vocem* (1), *superexaltatus est rursus accipiens nomen quod est super omne nomen. Qui enim nudus homo esse putabatur, supra modum glorificatus fuit, vere Deus et filius re vera Dei proditus . . . . Vna itaque cum Christo clarificato clarificatus est omnino Deus ac pater. Clarificatus vero est in filio, . . . quia innotuit cuius filii sit pater. Quemadmodum enim gloria est filio talem habere secundum naturam genitorem, eodem modo censeo etiam in patris gloriam cedere quod talem ex se ipso habeat filium. Propterea dicit: Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semet ipso; simul enim clarificatus est pater per filium, et statim vicissim filium clarificavit; ad ambos enim per ambos gloriae nomen pertinet.* Audi et Chrysostomum: *Nunc clarificatus est filius hominis . . . . Nam, quod morte quis mortem vincat, gloria est magna . . . . Deus clarificabit eum in semet ipso, hoc est per se ipsum, non per alium; et statim clarificabit eum, hoc est una cum cruce. Non post longum tempus, inquit, nec diu post resurrectionem illum reddet splendidum, sed statim, in ipsa cruce, conspicuae res apparebunt; sol namque obscuratus est, et cetera.* — Praepositio ἐν *in* potest quidem posita esse pro *per*, sicut eam Cyrillus et Chrysostomus interpretantur, saepe enim hanc significationem ea exhibet in hoc evangelio, inque aliis Novi Testamenti libris, sed forte melius eam accipias ut quae suam sibi propriam vim in hoc quoque loco servet, significetque patris gloriam in filio esse et filii in patre, utpote unam numero atque eamdem, idque ob unam utriusque naturam; hancque interpretationem illud *in semetipso* praeferre suadet.

Quum discipulis proximam mortem suam Christus nuntiasset, iam id agit vv. 33 seqq.; XIV - XVI, quod pater filiorum amans solet, ut suprema mandata his det supremisque

(1) Philipp. II, 8.

eos hortamentis instruat. Ipsa oratio talem patrem prodit, qui filios moriens relinquere cogitur.

v. 33. *Quaeretis me*, graece Ζητησετε με; quod verbum hoc in loco non idem est ac circumire ut aliquem inveniamus, sed, quemadmodum in aliis locis sonat, absentis desiderio teneri atque agi. — *Et sicut dixi Iudaeis et cetera;* quod olim Iudaeis dixi, id ipsum vobis nunc dico; alio tamen sensu. Confer Io. VIII, 21.

v. 34. Quantopere Christus mutuam dilectionem caritatemque commendaret, nemo ignorat. Hinc illud, ut eam primo loco posuerit in mandatis quae mortem iam obiturus discipulis dedit. — *Mandatum novum.* Id Chrysostomus sic explicat: *Hoc mandatum . . . ipse . . . novum fecit ipso praecipiendi modo ; intulit enim : Sicut dilexi vos.* Sic etiam Augustinus. Nec secus Cyrillus, qui haec subiungit: *Vides dilectionis erga nos novitatem? Lex enim praecepit diligere fratrem sicut se ipsum, Dominus autem noster Iesus Christus dilexit nos plus quam se ipsum.* Confer Io. XV, 12. — Postrema huius versus verba non sunt repetitio illius mandati, sed finem significant ob quem Christus dilexit nos; *sicut dilexi vos,* quod ideo feci, *ut et vos diligatis invicem.*

v. 35. Hoc namque praeceptum est quod Christus suum dixit (1).

vv. 36 - 38. Petri lapsus primo praedicitur. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CLXIII et CLXXI. — *Non cantabit gallus, donec et cetera,* hoc est ante gallicinium, quae erat quarta et postrema noctis pars sic vocata.

CAPVT XIV.

1 Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite.

(1) Io. XV, 12.

2 In domo Patris mei mansiones multae sunt. si quo minus dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum.

3 Et si abiero, et praeparavero vobis locum: iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis.

4 Et quo ego vado scitis, et viam scitis.

5 Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quo vadis: et quomodo possumus viam scire?

6 Dicit ei Iesus: Ego sum via, et veritas, et vita. nemo venit ad Patrem, nisi per me.

7 Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis: et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum.

8 Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.

9 Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum: et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem?

10 Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? Verba, quae ego loquor vobis, a me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera.

11 Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est?

12 Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.

13 Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio.

14 Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

15 Si diligitis me: mandata mea servate.

16 Et ego rogabo Patrem, et alium paraclitum
dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum,

17 Spiritum veritatis, quem mundus non potest
accipere, quia non videt eum, nec scit eum. vos autem
cognoscetis eum: quia apud vos manebit, et in vobis
erit.

18 Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos.

19 Adhuc modicum: et mundus me iam non videt.
Vos autem videtis me: quia ego vivo, et vos vivetis.

20 In illo die vos cognoscetis quia ego sum in
Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.

21 Qui habet mandata mea, et servat ea: ille est,
qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre
meo: et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.

22 Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes: Domine,
quid factum est, quia manifestaturus es nobis tei-
psum, et non mundo?

23 Respondit Iesus, et dixit ei: Si quis diligit me,
sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum,
et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus:

24 qui non diligit me, sermones meos non ser-
vat. Et sermonem, quem audistis, non est meus: sed
eius, qui misit me, Patris.

25 Haec locutus sum vobis apud vos manens.

26 Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mit-
tet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et sug-
geret vobis omnia, quaecumque dixero vobis.

27 Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis:
non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur
cor vestrum, neque formidet.

28 Audistis quia ego dixi vobis: Vado, et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem: quia Pater maior me est.

29 Et nunc dixi vobis prius quam fiat: ut cum factum fuerit, credatis.

30 Iam non multa loquar vobiscum. venit enim princeps mundi huius, et in me non habet quidquam.

31 Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.

COMMENTARIVM

In hoc caput Ioannes cetera retulit quae Christus loquutus est usque ad egressum e coenaculo. In universum haec pertinent ad moerentes discipulos consolandos simul simulque appositis doctrinis instruendos. Ea commode ita distribuas. Principio Christus discipulis animos addit v. 1, deinde de fide potissimum agit vv. 1 - 14, tum de caritate vv. 15 - 24, denique perorat atque concludit vv. 25 - 31.

v. 1. Christus, post mutuam dilectionem discipulis commendatam, iubet eos esse sine ulla animi turbatione, quam in ipsis tum ea, quae dixerat, tum quae futura erant, forte excitarent. Confer Io. XVI, 6. 7.

Pars prima sermonis, in qua est de fide.

Creditis in Deum, et in me credite. Qua illud, quod iubebat, exsequi possent, certissimam viam commonstrat, fidem inquam. Graeca sic quoque reddi queunt: *Credite in Deum, et in me credite.* — Christus aeque ac Deum se pro fidei obiecto proponit.

vv. 2. 3. Tum spe quoque moerentes discipulorum animos erigit, illamque fidei consociare docet. Hi eo potissimum

augebantur, quod Christus ab ipsis mox esset distrahendus. Christus ergo eos consolatur, promittens fore ut secum una inque patris sui domo aeternum habitent.

Posterius hemistichium versus 2 aliquam praefert difficultatem. Pro *dixissem* graece est εἶπον ἄν, quod reddi potest *dicerem*. Particula ὅτι, pro qua latina pagina habet *quia*, abest a graecis exemplaribus vulgatioribus; sed in praecipuis ac vetustissimis codicibus graecis ea legitur, sicut et particula *quia* in codicibus latinis item praecipuis ac vetustissimis. Ceterum sententia sic est: *Si quo minus*, si secus esset, si *in domo patris mei mansiones multae* non essent, hoc ipsum *dicerem vobis*, nec paterer vana spe vos decipi; praesertim *quia* iam in eo sum ut vadam *parare vobis locum*.

v. 4. Christus, quo iturus esset, alias (1) aperte dixerat; ad patrem videlicet. Discipuli pro certo habebant Deum esse Christi patrem. Vere ergo Christus aiebat eos scire quo ipse iturus esset, tametsi forte tunc id non cogitarent, neque intelligerent quid Christus diceret. — Via ad Deum non alia quam ipse Christus, sicut ipse paullo post v. 6 affirmavit; discipuli ergo viam quoque noverant qua et ipsi ad Deum ituri essent.

vv. 5 - 7. Sensus verborum Thomae sic est: *Nescimus quo vadis*, ergo non *possumus viam scire;* quod qui dicit, positum habet necesse esse viae terminum, hoc est, quo eundum sit, scire, ut viam noscamus. Eodem hoc ipso posito, utque aiunt, *ad hominem* Christus Thomae respondet, atque ex eodem illo principio contrarium adducit eius quod Thomas adducebat: Viam scitis, inquit, ergo et quo vado. *Ego sum via;* sed me cognoscitis; ergo viam scitis. Nam, quod ego sim via, dubitare non licet, quum nemo illuc, quo ego vado, tendere alia via possit, *nemo venit ad patrem nisi per me. Si* igitur *cognovissetis me*, qui via sum, *et*, quo ego vado, *patrem* inquam *meum, utique cognovissetis;* quin imo *et amodo* γινώσκετε *cognoscitis eum, et vidistis eum.*

In verbis *Ego sum via, et veritas, et vita* est illa orationis figura, in evangeliis haud infrequens, qua aliquid καθ' ἓν διὰ

(1) Io. VII, 33.

δυσιν enuntiatur; *via* et *veritas* est via certa, quae euntem non fallit; *via et vita* est via vitalis, qua qui eunt, vivunt, qua itur ad vitam.

Christus in v. 4 verbum *scitis* absolute et simpliciter usurpaverat; cur ergo in v. 7 non item, sed ita loquitur: *Si cognovissetis et cetera?* Scilicet apostolos fide in Christum praeditos tunc quidem iam fuisse, sed nondum ea qua ipsos esse oportebat, quaque postea fuerunt. Tum Christus statim redit ad modum verbi indicativum, *et amodo,* inquit, id est iam nunc, γινώσκετε *cognoscitis eum,* imo et ad tempus praeteritum, *et vidistis eum.* Quorum verborum postremorum quinam sensus sit, mox ab ipso Christo discemus in v. 9.

v. 8. Quemadmodum paullo ante, quum Christus dixisset v. 4 scire discipulos quo iturus ipse esset, viamque qua eundum, Thomas modesta illa sua interrogatione v. 5 haec negaverat, ita nunc Philippus, Christum rogans ut ipsi ceterisque discipulis patrem ostendat, illud tacite negat, quod Christus proxime affirmaverat, patrem ab ipsis iam visum esse.

v. 9. Quae Christus Philippo hoc et insequentibus versibus respondit, ecquis proferre audeat quin ipse Deus sit? Christum cognoscere tantumdem est ac cognoscere Deum, imo, qui Christum videt, is Deum videt; manifesta igitur consequutione conficitur Christum esse Deum. Neque enim hic locus ullus verborum immutationibus est. Lege Eusebii Demonstrationem evangelicam V. 13 et Ecclesiasticam theologiam III. 21.

v. 10. Nam id, quod dixit, Christus confirmat argumento quod ἡ περιχώρησις *circumincessio* suppeditat, moxque hanc ipsam περιχώρησιν ostendit eo indicio, quod, quae ipse loquitur atque agit, haec pater in ipso manens loquatur atque agat. Neque semel proposuisse contentus,

vv. 11, 12. denuo illud argumentum proponit, itemque ac prius ita proponit ut qui huic rei fidem adiungi postulet. Graeca sic sonant: *Credite mihi, quia ego in patre et pater in me est.* Tandem, sicut ei mos erat, res a se gestas quasi testes citat, quae verbis suis fidem faciant. — Verba *Alioquin*

propter opera ipsa credite in graeco exemplari sunt pars versus 11. *Alioquin* εἰ δὲ μή *sin minus;* confer Io. X, 38.

Num vero putemus Christum multiplici hac efficacique argumentatione nil aliud voluisse quam ut comprobaret sensum aliquem translatum illorum verborum *qui videt me, videt et patrem meum?* qui tamen sensus translatus quinam sit, minime nos docuit, quin imo ita loquutus est, ut ea verba in sensum proprium accipienda esse ex tota argumentatione existimari necesse sit.

vv. 12. 13. Christus concludit vim atque efficaciam fidei, et quidem fidei qua in ipsum credimus, commendando, idque maxime in loco. Adeo refert, inquit, credere quae doceo, ut non ego modo haec signis et miraculis editis comprobare queam, sed et, qui illa credunt, eadem imo et maiora signa ac miracula edituri sint, quibus ea, quae credunt, confirment; non tamen ipsi per se propriaque virtute, sed *quia ego ad patrem vado, et* apud patrem manens, *quodcumque petieritis patrem in nomine meo,* quantumvis grande ac mirabile, precibus annuens, *hoc faciam.* Nota illud, quod, quae patrem rogamus, Christus faciat.

v. 14. Christus solebat, sicut apparet ex hoc evangelio, repetitionibus uti, quum quid gravius vehementiusque affirmare aut inculcare expediret. Item nunc facit, quum agatur de postremo illo argumento, quod aptissimum sit ad fidei praestantiam excellentiamque apostolis etiamtum rudioribus atque hebetioribus commonstrandam et commendandam. — Ex collatione huius et superioris versus intelligimus unum atque idem esse ac pari utilitate rogare Christum ac Deum rogare. — A plerisque graecis codicibus abest pronomen με *me,* non tamen a vaticano omnium vetustissimo, illudque habent translationes fere omnes.

Pars secunda sermonis, in qua est de caritate, ac primo vv. 15 - 21 caritatis fructus discipulis suis pollicetur, deinde vv. 22 - 24 Iudae Thaddaeo interroganti respondet.

Quo nonnullas difficultates praeoccupemus, iuvat animadvertere in his Christi sermonibus praesens verborum tempus subinde adhibitum esse pro futuro. In hoc capite XIV ἔρχομαι *venio* vv. 3. 18; θεωρεῖ *videt,* θεωρεῖτε *videtis* v. 19;

in capite XVI *αἴρει tollit* v. 22; quaedam tamen ex his latinus interpres vertit in tempus futurum.

v. 15. Primum praecipuumque caritatis officium proponitur. Sicut *plenitudo legis est dilectio* (1), ita nemo vere Deum diligit quin eius legem observet atque impleat.

vv. 16. 17. Excellentissimus caritatis fructus, datio Spiritus sancti; de qua qui te doceant, nominatos invenies in Lib. III de Evangeliis Diss. XLIII. n. 72. Confer Io. VII, 39. — *Paraclitus* graece *παρακλητος advocatus.* Nota illud *alium;* nam et Christus *paraclitus* est; *Advocatum παρακλητον habemus apud patrem Iesum Christum* (2). Neque *alium* loco Christi, sed *alium* praeter Christum. Confer v. 18. — Quum Christus et Spiritus sanctus in hoc loco una comparentur et duo advocati esse dicantur, liquet Spiritum sanctum personam esse, non modo a Christo, sed et a Chriti patre distinctam, inque hoc loco perspicuam fieri Trinitatis mentionem. — Verius senties *Spiritum veritatis* hoc in loco appellari, non ut ex quo sit veritas, sed ut qui sit ex veritate, graece enim non est *πνευμα ἀληθειας (spirito di verità),* sed *πνευμα της ἀληθειας (spirito della verità);* veritas vero haec ipse Christus. Confer v. 6, et lege Cyrillum.

Aliquid in v. 17 deprehendimus quod prima specie non levem difficultatem praefert. Mundus dicitur accipere non posse Spiritum sanctum quia hunc non cognoscit, discipuli vero Christi Spiritum sanctum cogniturі esse quia apud ipsos manebit; ita ut ex prima sententia effici videatur prius esse cognoscere Spiritum sanctum quam accipere, contra vero ex secunda. Itaque primo animadvertere necesse est alteram sententiam in graeco exemplari sic esse: *ὑμεις δε γινωσκετε αὐτο, ὅτι παρ' ὑμιν μενει και ἐν ὑμιν ἐσται vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manet, et in vobis erit.* Deinde verbis *apud vos manet* aliud significari ac verbis *in vobis erit;* id quod sane manifestum est; Spiritus sanctus iam quidem manebat apud Christi discipulos, quippe qui, peccati expertes, caritate

(1) Rom. XIII, 10.
(2) I Io. II, 1.

et gratia praediti essent (1), nondum tamen in ipsis erat, nondum enim datus erat (2). Quare in altera quoque sententia Spiritum sanctum cognoscere prius est quam accipere; a particula autem *quia* non dependet nisi primum incisum *apud vos manebit,* non item alterum *in vobis erit,* quod per particulam *et* coniungitur verbis *cognoscetis eum.* Certe Spiritus sanctus dari nequit nisi iis qui eum cognoscunt, qui fidem adepti sunt. Habes in his argumentum quo gratiam sanctificantem et Spiritus sancti dationem inter se distinguas.

vv. 18. 19. Ne discipuli putarent ita *alium paraclitum* ipsis dandum promitti, ac si Christus exinde ab ipsis semper abfuturus esset, neque eum ipsi unquam essent visuri, proptereaque moerore afficerentur, Christus haec illi promissioni subiunxit. — *Non videt* liquet dictum esse pro *non videbit;* quare *videtis* est pro *videbitis.* — Sensus verborum *Vos autem videbitis me, quia ego vivo,* alteruter esse potest, vel ita ut illud *quia ego vivo* significet id quod discipuli visuri esse dicuntur, hoc est *videbitis me vivere, videbitis me ad vitam regressum,* vel ita ut caussa sit cur discipuli Christum etiam post ipsius obitum visuri essent, hoc est *videbitis me, nam in vitam rediturus sum.* Sed verior hic tertius sensus esse videtur, quem verbum *vivo* tempore praesenti usurpatum confirmat: Praeter hanc, quam vobiscum vivo, altera mihi vita est, nimirum divina, quam obita morte non amittam; haec efficiet ut corpus meum post mortem reviviscat, vosque me iterum viventem videatis. — Item verbo *vivetis* non eam vitam significari, quam nunc vivimus, sed aliam, ipsa coniunctio sententiarum *quia ego vivo, et vos vivetis,* certiores nos facit; sensus ergo est: Mundus quidem me non ultra videbit, vos vero semper me videbitis, quia semper vivetis. — Cyrillus ita haec exposuit: *Invisibilem quidem et inconspicabilem iis, qui, quae mundi sunt, sapiunt, fore se, inquit, postquam hinc migraverit, id est, postquam in caelos redierit, sed visibilem sanctis inventum iri ait, divinum quemdam et intellectualem fulgorem eorum cordis oculis infundente sancto Spiritu.*

(1) Confer Io. XIII, 10.
(2) Confer Io. VII, 39 et XIV, 16.

v. 20. Quid Spiritus sanctus discipulis datus effecturus sit. — *In illo die,* hoc est, quum Spiritus sanctus vobis datus in vobis erit. — Praeclare Cyrillus hunc versum exposuit, atque e verbo *cognoscetis* argumentum depromens evicit illa *ego sum in patre meo* nullo pacto dicta esse posse de mutua patris et filii dilectione. — *Et vos in me;* nostra natura videlicet in Christo est. *Et ego in vobis;* utpote qui divinae effecti simus consortes naturae. — Audi Cyrillum: *Ego siquidem naturaliter in patre, fructus enim sum substantiae eius, ac vera genitura in eo existens, et ex eo existens, vita ex vita. Vos autem in me, et ego in vobis, quatenus ego quidem homo apparui, consortes autem divinae naturae vos reddidi, spiritum meum in vobis inhabitare faciens.*

v. 21. Sub qua conditione Spiritus sanctus illud effecturus sit, videlicet si Christi praecepta observemus. Considera κατ' ἀνάλυσιν totum rei processum, quem his verbis κατὰ σύνθεσιν Christus descripsit. Illa, quae Christus dixit, is cognoscet cui Christus per Spiritum sanctum sese manifestabit. Ei sese manifestabit qui a patre et ab ipso diligetur. Is a patre et ab ipso diligetur qui ipsum diliget. Is ipsum diligit qui ipsius praecepta observat. — Nota huius doctrinae de caritate conclusionem analogam exordio v. 15.

vv. 22-24. Iudas de duobus interrogat, cur Christus sese discipulis, ut dixerat, manifestaturus esset, cur non item mundo. Rerum autem contrariarum contrarias Christus rationes affert caussasque. Primae quaestioni plene respondet v. 23, ea repetens quibus modo eam occupaverat; at secundae v. 24 quantum satis esset ex quo quisque adduceret contrarium eius quo prior responsio concluditur, hancque alteram ita supplendam esse apparet: *Nec pater meus diliget eum, neque ad eum veniemus, neque mansionem apud eum faciemus.* — Nota verba plurali numero *veniemus, faciemus;* neque te illud praetereat, ut Christus una cum patre eodemque modo ac pater ad nos veniat et apud nos maneat. — Quod Christus solebat, quum fidem verbis suis magis ac magis conciliare vellet, ut profiteretur se nihil aliud loqui nisi quae a patre didicerat, tunc quoque fecit, responsionem ita concludens: *Et sermonem quem audistis et cetera.*

Peroratio et conclusio, in qua Christus primo vv. 25. 26 praedicit discipulis fore ut, quaecumque ipse eos docuerat, haec Spiritus sanctus eis ὑπομνήσῃ *in memoriam revocet*, deinde v. 27 pacem sibi cum eis esse porroque futuram affirmat, tum vv. 27. 28 monet eos ne moerorem metumque propter praenuntiatum abitum suum concipiant, quum potius gaudendi caussa sit, rationemque v. 29 subiungit cur praenuntiaverit, denique v. 30 ait finem sibi imminere, mundi principe, etsi citra omne ius, superante, postremo v. 31, quo manifestum amoris atque obedientiae erga patrem indicium exhibeat, discipulos secum e coenaculo egredi iubet proditori obviam iturus.

v. 26. Neque ullum prophetarum Deus unquam in alterius nomine misit nisi in suo, neque, ut faceret, divina maiestas ferebat. Num ergo ipsum Spiritum sanctum in Christi nomine mitteret, nisi Christus Deus esset? — *Dixero*, graece εἶπον *dixi*.

v. 27. *Pacem meam*. Nota ἔμφασιν; non pacem qualemcumque, sed *meam*, longe aliam videlicet ac mundus dare solet aut potest.

vv. 27. 28. *Non turbetur cor vestrum neque formidet* propterea quod *audistis quia ego dixi vobis: Vado;* namque addidi: *et venio ad vos*. Quin imo, *si diligeretis me, gauderetis utique quia vado*, nam *vado ad patrem*, quae maxima gaudendi caussa profecto vobis sit oportet, propterea *quia pater maior me est;* patris, inquam, natura eam, qua sola esse videor, humanam inquam, infinite praecellit, sed et mihi, utpote filio, cum patre communis est; quare ad patrem regresso, iam non humana mihi contingent, sed illa beatitate unice frui dabitur qua pater fruitur quaeque Dei propria est. Lege Cyrillum.

v. 29. Idcirco autem vobis praenuntiavi me ad patrem rediturum, ut praedictionis implementum, quod ipsi oculis vestris cernetis, argumento vobis sit cur mihi plenius credatis.

v. 30. *Venit* ἔρχεται, tempore praesenti. *Venit* ut contra Christum extrema tentet atque experiatur, sed ad propriam perniciem. — *Et in me non habet quidquam*, neque peccatum neque ius ullum.

v. 31. Prima duo incisa, multo melius atque aptius quam cum superioribus, coniunguntur cum postremis verbis *surgite, eamus.* Sententia sic est. *Venit princeps mundi huius ut mihi vitam auferat. Sed, ut cognoscat mundus quia diligo patrem, et, sicut mandatum dedit mihi pater,* ut mortem pro hominibus obeam, *sic facio,* non diaboli ministros hic exspectabo, ipse sponte mea me illis tradam; *surgite eamus.*

His dictis Christus e coenaculo egressus est. Lege Lib. II de Evangeliis n. CLXV.

CAPVT XV

1 Ego sum vitis vera: et Pater meus agricola est.

2 Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.

3 Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.

4 Manete in me: et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis.

5 Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.

6 Si quis in me non manserit: mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.

7 Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis.

8 In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli.

9 Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea.

10 Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in eius dilectione.

11 Haec locutus sum vobis: ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.

12 Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.

13 Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

14 Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis.

15 Iam non dicam vos servos: quia servus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.

16 Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis: et fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

17 Haec mando vobis, ut diligatis invicem.

18 Si mundus vos odit: scitote quia me priorem vobis odio habuit.

19 Si de mundo fuissetis: mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

20 Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus maior domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur: si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt.

21 Sed haec omnia facient vobis propter nomen
meum: quia nesciunt eum, qui misit me.
22 Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.
23 Qui me odit: et patrem meum odit.
24 Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum.
25 Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.
26 Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me:
27 et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

COMMENTARIVM

Sermones relati in capita XV et XVI habiti sunt inter eundum post egressum e coenaculo et ante egressum ex urbe ad montem Olivetum, item precatio descripta in capite XVII, sicut apparet ex collatis Io. XIV, 27 et XVIII, 1. Haec capita nequaquam sunt una ac solida oratio, sed maxima ex parte varius sermo familiariter habitus, quo Christus suprema illa vitae hora discipulos de iis commonuit eaque docuit quae ipsorum maxime referre iudicavit; quare frustra esset qui horum trium capitum connexum ac ductum invenire ac demonstrare conaretur. Neque tamen ea sunt mera atque indigesta sententiarum coacervatio, sed certis quibusdam partibus distinguuntur, quarum singulis singulae materiae propositae sunt.

In prima huius capitis XV parte vv. 1-8 Christus, proposita imagine qua se tamquam vitem quamdam exhibet, ostendit id, quod scire apprime nostra interest, nil nos sine ipsius ope agere posse quod ad animae salutem adque aeternam vitam vivendam conducat. Ductus orationis sic est.

Imago proponitur vv. 1. 2.

Apostolos esse palmites iam quidem depurgatos v. 3,

sed qui necesse habeant in Christo, veluti palmites in vite, manere, nam, si non maneant, nec fructum ferent v. 4,

contra ea vero multum ferent si maneant; cuius rei caussa mox aperte omissisque verborum immutationibus subiungitur v. 5.

Quid fiet iis qui in Christo non manserint v. 6,

quid iis qui manserint v. 7.

Conclusio v. 8.

Sententiis ita, ut fecimus, dispositis, quum praeterea imago in his adhibita per se perspicua sit, vix quidquam est quod explicatione indigeat.

v. 3. Christus dixerat in v. 2 palmites fructiferos purgatum iri, *ut fructum plus afferant.* Subiungit tales esse discipulos suos, non tamen purgatione indigere, quos ipse doctrina sua iam mundos effecerat;

vv. 4. 5. sed hoc unum, siquidem uberes fructus ferre velint, ut Christo, veluti palmites viti, coniuncti maneant. — Mos erat Christo in sermonibus habendis, postquam aliquid negaverat, huius contrarium affirmare, itemque contrarium eius, quod prius affirmaverat, negare; quod et in his duobus versibus et in alteris duobus, qui proxime sequuntur, ab eo factum videmus. — *Qui manet in me, et ego in eo,* hebraismus pro *Qui manet in me, et in quo ego maneo.* — Mutua haec mansio, coniunctio inquam palmitum et vitis, necessario requiritur ad id ut palmites fructum ferant.

vv. 6. 7. Christus in v. 6 de eo, qui in ipso non manet, tamquam de palmite a vite resecto loquutus est; quare in v. 7 de iis, qui in ipso manent, videtur ita loquendum fuisse ut de palmitibus viti adhaerentibus, et sicut de illo ea dicta sunt quae palmiti fiunt a vite resecto, ita de his ea fuisse dicenda quae palmitibus viti coniunctis sunt propria, aut certe

propriis verbis ea quae his verborum immutationibus significarentur, fructus inquam coniunctionis cum Christo. Cur ergo non tales fructus Christus promittit, sed, *quodcumque volueritis,* inquit, *petetis, et fiet vobis?* Quia nec ulli fructus essent sperandi prece non adhibita, et certo hac adhibita percipiendi. Nimirum Christus id fecit quod subinde solebat, ut, non ipsam rem, sed vel rei caussam rationemque, vel effectus et consectaria, vel viam, qua quis ad eam perveniat, enuntiaret.

v. 8. Haec dicta sunt καθ' ἐν διὰ δυοῖν, sensusque is est: *In hoc clarificatus est pater meus, ut fructum plurimum afferendo efficiamini mei discipuli;* neque enim aliter, quam si pro mensura divinae opis sibi collatae fructum ferat, Christi discipulus esse quisquam potest. Confer v. 2.

Hominum et Christi, tamquam palmitum et vitis, coniunctio, de qua dictum est in prima huius capitis parte, caritate continetur. Hinc transitus ad alteram partem vv. 9-17, in qua est de caritate, primo qua Deum et Christum vv. 9-11, deinde qua ipsi invicem vv. 12-17 amamus.

v. 9. Primo caussa affertur diligendi Christum, quae maxime nos urgeat, *quoniam ipse prior dilexit nos* (1), idque ita ut eum pater dilexit. Rei caussa proposita res ipsa praecipitur: *Manete in dilectione mea.* Multo plus est MANERE *in dilectione* quam *diligere.*

v. 10. Qua ratione et ad quod exemplum id praestandum quod praecipitur. — *Servavi et maneo* pro *servando maneo.*

v. 11. Quorsum. Primo *ut gaudium meum in vobis sit*, graece ἐν ὑμῖν μείνῃ *in vobis maneat,* ut semper gaudium ex amore vestro percipiam. Confer Io. XVII, 13. Secundo *ut gaudium vestrum impleatur,* nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (2).

v. 12. Praeceptum amandi invicem, et modus quo observandum. Hoc praeceptum Christus primum omnium dederat, quum post coenam hos sermones habere coepit, et *novum* id appellaverat (3); nunc *suum* idem hoc vocat. Quum omnia

(1) I Io. IV, 10.
(2) Rom. VIII, 28.
(3) Io. XIII, 34.

praecepta a Christo data sua aequo modo sint, nemo non sentit quid hic valeat illud *meum*.

v. 13. Praeceperat superioribus verbis ut discipuli invicem diligerent sicut ipse eos dilexit; quomodo eos dilexerit nunc docet, universali tamen enuntiatione. — Quinam sint quos *amicos suos* oblique appellavit, et sub qua conditione tales futuri; nimirum ipsi eius discipuli, si modo, quae ipsis praecepit, faciant.

vv. 14. 15. Cur autem eos non *servos* sed *amicos* appellet; quia amicis, non servis, res nostras aperire solemus. — Illud *omnia* Chrysostomus ita explicat: *Cum dicit: Omnia quae audivi, nihil aliud vult significari, quam quod nihil alienum loquatur, sed quae a patre audivit.... Cum vero dicit: Omnia, intelligas ea quae audire ipsos oportebat.*

v. 16. Ita tamen eos Christi amicos esse, ut non ipsi Christum, sed Christus ipsos sibi amicos elegerit; neque enim ulla merita nostra esse possunt quae Christi gratiam nobis concilient. — Quorsum eos amicos sibi esse voluerit. — De postrema huius versus sententia ita Cyrillus: *Ego elegi vos . . . ut . . . fructum afferre Deo possitis, et per hoc ad tantam fiduciam evehi, ut, quodcumque petieritis in nomine meo, id accepturi sitis.... Vt fructum quidem habeant illum semper manentem ac durabilem, precesque tam gratas et acceptas, ut, quodcumque velint, accipiant, si tantum illud in nomine meo petierint.*

v. 17. Concludit repetens quod praeceperat. Coniunctio *ἵνα ut* non idem hic valet ac *ideo ut*, sed, sicut grammatici loquuntur, resolvit modum verbi infinitivum, quod et alias facit in Novo Testamento, sensus autem est: *Hoc est quod mando vobis, diligere invicem;* videlicet hanc alteram partem Christus concludit eadem enuntiatione qua eam exorsus est v. 12; neque enim verba *Haec mando vobis* habent superius ad quod spectent, quum nihil Christus mandaverit nisi quod nunc mandat, mutuam inquam dilectionem.

A mutuo discipulorum suorum amore Christus transit ad odium quo illos ipsius inimici prosequuntur, deque hoc agit in tertia sermonis parte vv. 18 - XVI, 4.

v. 18. Praedicit ergo fore ut mundus odio eos habeat, sed iis verbis praedicit, quibus, ne propterea solliciti fiant, simul premuniat, animosque eis addat binis argumentis maxime efficacibus; quorum primum est mundum hac re non aliter eos habiturum ac Christum prius habuerit,

v. 19. alterum est caussam, propter quam mundus illos tanto odio prosequuturus est, non aliam esse quam Christi in ipsos amorem, quodque huius discipuli sint.

v. 20. Priore argumento in v. 18 ex eo, quod mundus Christum *priorem odio habuit*, adductum est etiam Christi discipulos a mundo odio haberi; id esse consequens demonstratur hac ratione, quia *non est servus maior domino suo.* Christus hoc effatum superius protulerat in Io. XIII, 16. — Alias animadvertimus ut Christus solitus esset, ubi aliquid affirmaverat, huius contrarium negare, aut eius, quod negaverat, affirmare; sed item solebat, quod et in hoc loco factum ab eo videmus, quum aliquid ex aliquo adduxerat, ex huius contrario illius contrarium adducere; qui mos aeque ac ille prior eo pertinebat, ut, quae dicebantur, audientium, rudiorum plerumque atque hebetiore ingenio, mentibus altius imprimerentur.

v. 21. Alterius argumenti in v. 19 summa haec est: Ego vos diligo; mundus igitur vos odit. Cur autem Christi amor in discipulos mundo caussam praebeat odio eos habendi, idem ipse Christus ita exponit: Caussa, cur homines *propter nomen meum,* propter hoc ipsum quod mei estis, *haec omnia facient vobis,* caussa, inquam, haec est, *quia nesciunt eum, qui misit me.*

v. 22. E superioribus Christi verbis intelligimus odio ipsius Christi homines agi quum eo modo, quo dictum est, erga huius discipulos sese gerunt. Cuius peccati quidem rei illi non essent si Christum haud nossent; sed, quum Christus ad eos venerit, inter eos versatus sit, ac suis doctrinis eos instruere studuerit, *excusationem non habent de peccato suo,* de odio videlicet quo Christum prosequuntur;

v. 23. nam, qui Christum odit, et Deum Christi patrem odit, quum Christus et pater unum sint.

v. 24. Se autem et patrem unum esse Christus non docuit solummodo, sed compluribus signis editis demonstravit et confirmavit. Si haec illi signa haud vidissent, *peccatum non haberent ;* ast viderunt, et tamen, nedum Christo propterea crederent, ipsum Christum et, quod est consequens, ipsius Christi patrem Deum oderunt. Ergo, ut dictum est, *excusationem non habent de peccato suo.*

v. 25. Sed enim hac re id faciunt ut oraculum impleatur, quo haec ipsa res fuerat praenuntiata. Hoc oraculum legitur in Ps. XXXIV, 19; LXVIII, 5. — Notum autem est *legis* nomine non unam Pentateuchum, sed quemcumque scripturarum sacrarum librum designare Iudaeos solitos fuisse. Confer Io. X, 34; XII, 34; I Cor. XIV, 21. — *Gratis,* sine caussa.

vv. 26. 27. Ceterum eorum, quae de se Christus docuit signisque editis confirmavit, testes sibi haud defuturos, qui hominum ei fidem detrectantium pervicaciam revincant, nimirum Spiritum sanctum ipsosque discipulos, quos semper secum habuit. — Comparandus est versus 26 cum Io. XIV, 16. 17. 26, ex qua collatione manifeste efficitur Christo eamdem ac patri potestatem esse mittendi Spiritum sanctum. — In v. 27 discipulis martyrium ipsos facturos Christus praedicit.

CAPVT XVI

1 Haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini.

2 Absque synagogis facient vos: sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo.

3 Et haec facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.

4 Sed haec locutus sum vobis: ut cum venerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.

5 Haec autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram: Et nunc vado ad eum, qui misit me; et nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis?

6 Sed quia haec locutus sum vobis: tristitia implevit cor vestrum.

7 Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.

8 Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de iustitia, et de iudicio.

9 de peccato quidem: quia non crediderunt in me:

10 de iustitia vero: quia ad Patrem vado: et iam non videbitis me:

11 De iudicio autem: quia princeps huius mundi iam iudicatus est.

12 Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo.

13 Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. non enim loquetur a semetipso: sed quaecumque audiet loquetur, et quae ventura sunt annunciabit vobis.

14 Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, et annunciabit vobis.

15 Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, et annunciabit vobis.

16 Modicum, et iam non videbitis me: et iterum modicum, et videbitis me: quia vado ad Patrem.

17 Dixerunt ergo ex discipulis eius ad invicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum, et non videbitis me: et iterum modicum, et videbitis me, et quia vado ad Patrem?

18 Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit, Modicum? nescimus quid loquitur.

19 Cognovit autem Iesus, quia volebant eum interrogare, et dixit eis: De hoc quaeritis inter vos quia dixi, Modicum, et non videbitis me: et iterum modicum, et videbitis me.

20 Amen, amen dico vobis: quia plorabitis, et flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

21 Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressurae propter gaudium: quia natus est homo in mundum.

22 Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum: et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

23 Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

24 Vsque modo non petistis quidquam in nomine meo: Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

25 Haec in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora cum iam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annunciabo vobis.

26 in illo die in nomine meo petetis: et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis:

27 Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Deo exivi.

28 Exivi a Patre, et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.

29 Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis.

30 nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget: in hoc credimus quia a Deo existi.

31 Respondit eis Iesus: Modo creditis?

32 Ecce venit hora, et iam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis: et non sum solus, quia Pater mecum est.

33 Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

COMMENTARIVM

v. 1. Haec, quae ab hominibus exspectaretis, vobis praenuntiavi, ne forte, si improvisa in vos ea ingruerent, fidem erga me vestram labefactarent.

v. 2. Neque enim levia haec erunt. E synagogis vos eiicient; imo *venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo.* Iudaeis summum omnium dedecus erat fieri *ἀποσυναγώγους*, eiici inquam e synagogis, quippe quo fieret ut nec Iudaei haberentur. Confer Io. IX, 22; XII, 42. — Vox *ἀλλα sed* in hoc loco, sicut et alibi, idem valet ac *imo.* — Apparet ex his nomine *mundo* Iudaeos Christi adversarios praesertim designatos esse.

v. 3. Caussa, cur homines in Christi discipulos ita acturi sint, denuo significata,

v. 4. haec tertia sermonis pars concluditur.

Ad quartam sermonis partem Christus transit, quae continetur versibus 5 - 16, et in qua loquitur de abitu suo ad patrem, ut inde paraclitum ad discipulos mittat.

v. 5. Transit, inquam, non transilit; hoc enim versu ea, quae sequuntur, superioribus connecti apparet ex oppositione verborum *vobiscum eram* et *vado*. — Quoadusque Christus cum discipulis est commoratus, necesse non fuit eos de iis praemoneri quae proxime dicta sunt; secus vero nunc, quum Christus ab eis abiturus est. — *Nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis.* At superius (1) id eum Petrus interrogaverat. Ita vero; sed Christus non ait neminem *interrogasse*, sed *interrogare*, deque eo loquitur quod tunc, quum haec diceret, fieri par erat. Tum verborum sensus is esse videtur, ut Christus, ubi haec dixit: *Et nunc vado ad eum qui misit me,* tantisper siluerit, exspectans quodammodo discipulos ut ipsum interrogarent quo esset iturus, quumque nemo id faceret, sed moerore ob eius abitum afficerentur, ita prosequutus est: *Et nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis,*

v. 6. sed, audito me abire, tristes estis.

v. 7. Me tamen abire vobis bono erit. Sic enim a Deo constitutum fuerat, ut Spiritus sanctus, qui Christi discipulis dandus erat, non daretur nisi post ipsius Christi reditum ad patrem. Confer Io. VII, 39.

vv. 8 = 11. *Quod autem sequitur,* inquit Augustinus, *Et cum venerit ille,* et cetera, *tamquam solum sit peccatum non credere in Christum, et tamquam ipsa sit iustitia non videre Christum, et tamquam ipsum sit iudicium quod princeps huius mundi, hoc est diabolus, iam iudicatus est, valde latebrosum est.*

Duplicem haec nobis pariunt quaestionem, alteram de ipsis rebus, alteram de rerum modo ac ratione, quid videlicet ea sint, quorum ut Spiritus sanctus mundum coarguat, fore praedicitur, et quomodo id ille sit exsequuturus.

Hoc alterum nihil habet difficultatis. Eam enim rem, sicut Augustinus ait, apostoli Spiritu sancto repleti eodemque

(1) Io. XIII, 36.

acti praestiterunt. Recte autem id Christus Spiritui sancto attribuit, sine quo illi nil tale incipere atque exsequi potuissent.

Sed neque primum postremumve eorum, quorum coarguendus mundus dicitur, quidquam praefert intellectu difficile. Vt enim mundus peccaverit, eo quod in Christum haud crederet, iudiciumque de illo iam factum fuerit ex quo ipse mundi princeps iudicatus fuit, quisque perspicit, utque utriusque rei Spiritus sanctus per apostolos mundum convicerit. Versum tamen 11 aeque bene interpretareris secundum sententiam quam ostendimus subiectam esse versui 31 capitis XII.

Verbum ἐλέγξει *arguet* in v. 8 non idem valet ac *reprehendet,* sed significationem sibi maxime propriam servat, quae est *aliquem rationibus manifestum facere atque convincere;* tota autem huius versus sententia sic exponenda est: Convincet mundum mali quod fecit, boni quod facere neglexit, iudicii demum quo propterea condemnatus iam est.

Sed quid de versu 10? nil enim nisi tenebrae esse videntur. Quas tamen ut, quo plenius fieri potest, discutiamus, eam viam sequemur qua Augustinus praeivit. Ergo mundus iustitiae arguendus dicitur, certe non suae, quippe qui proxime dictus sit peccati arguendus, sed aliorum; quorumnam vero nisi eorum qui *de mundo non sunt*, hoc est discipulorum Christi? Confer Io. XV, 19; XVII, 14. 16. Id ratio addita confirmat, quae ad Christi discipulos pertinet. Coargui autem alienae virtutis ille unus dici potest cui aliorum exemplis obiectis ostendimus in ipso parem virtutem desiderari. Itaque Christus praedicit fore ut Spiritus sanctus mundum arguat de eo quod longe absit a iustitia discipulorum Christi. Sed quaenam haec iustitia? Quam quaestionem, alioquin satis expeditam levique negotio dissolvendam, ipsa explicatio subiecta implexam ac sane latebrosam efficere videtur. Quomodo namque discipulorum Christi iustitia in eo sit, ut Christo ad patrem reverso hunc illi non ultra videant? Considerandum ergo est ut Christus in versu 10 iustitiam discipulorum opponat mundi peccato; hoc peccatum non aliud quam non credere in Christum; neque ergo alia illa iustitia quam *quae ex fide est Christi Iesu, quae ex Deo est iustitia in fide* (1),

(1, Philipp. III, 9.

iustitia, inquam, *Dei per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum* (1), et de qua Paulus in alio loco, *Corde*, inquit, *creditur ad iustitiam* (2). His positis facile, opinor, dandum erit Christum in hoc loco loquutum ita esse sicut saepe solebat, ut omitteret id quod ex antea dictis repetendum esse vel certe consequi apparebat. Quare, quum in v. 10 contrarium exponat eius quod dixerat in v. 9, mundum in ipsum non credidisse, vix dubitare licet ita versum 10 esse supplendum: *De iustitia vero, quia ad patrem vado, et iam non videbitis me, sed tamen credetis;* tota autem sententia plane clarebit si conferatur cum illo Pauli effato: *Est autem fides . . . argumentum non apparentium* (3), cumque illo eiusdem ipsius Christi: *Beati qui non viderunt et crediderunt* (4).

v. 12. Quam vere quamque in loco id Christus affirmaverit, ea ostendunt, quae proxime dixerat, intellectu, prima saltem specie, satis difficilia, sicut vidimus. — *Non potestis portare modo*, quia nondum vobis Spiritus sanctus datus est; quem sensum ea, quae sequuntur, nos docent.

v. 13. *Omnem veritatem*, illa videlicet quae *habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* — Verba *non enim loquetur a semetipso* cave ita intelligas ac si his ratio afferretur cur vera sint quae Spiritus sanctus loquuturus esse dicitur, sed cur is non alia apostolos docturus sit, quam quae tunc Christus quidem dicere habebat, sed illi nondum intelligere poterant; quam nostram interpretationem verba *sed, quaecumque audiet, loquetur* omni ex parte confirmant. Quemadmodum autem Christus, sicut ipse saepius professus est, Io. VII, 17; VIII, 26. 28. 38. 40; XII, 49. 50; XIV, 10; XV, 15, non loquebatur nisi quae audierat a patre, ita nec Spiritus sanctus nisi quae a patre et filio. Confer Io. XIV, 26.

v. 14. *Ille me clarificabit;* quidquid enim grande, insigne, admiratione dignum aget, id non ipsi magis quam mihi attribuendum est, quum, quantum virtutis ille habet, id to-

(1) Rom. III, 22.
(2) Ib. X, 10.
(3) Hebr. XI, 1.
(4) Io. XX, 29.

tum a me acceperit. Audi Cyrillum haec explicantem: *Clarificat itaque filium Paracletus, id est proprius eius spiritus omnia potens et omnia sciens. Quomodo clarificat? Quae enim novit ac potest spiritus eius,* filii inquam, *quomodo ipse* filius *non noverit aut quomodo non possit? Quod si, ut ipse ait, de suo spiritus accipit, et si* is *omnia possit ac faciat, quomodo ipse* filius *omnium potestatem non habeat? . . . Quoniam* Spiritus sanctus *consubstantialis est filio, et modo Deo congruenti per ipsum procedit, omnem eius perfectissimam in omnibus operandi vim atque efficacitatem habens, idcirco dicit: Quia de meo accipiet . . . . Annuntiabit igitur vobis, inquit, de meo accipiens Paracletus, hoc est, nihil aliud, quam quod mihi visum erit, loquetur, et, quum sit meus spiritus, eadem omnino mecum loquetur, et, quae meae voluntatis sunt, annuntiabit.* — Vsus autem Christus est tempore verbi futuro *accipiet*, non velut si Spiritus sanctus nondum quidquam ab ipso accepisset, sed respectu illius temporis quo, quae praedicebat, eventura erant.

v. 15. Hic versus manifestissimam caussam nobis aperit eius quod Christus de paraclito affirmavit, simulque argumentum exhibet luculentissimum Christi divinitatis. Agitur de virtute atque efficacia Spiritus sancti, nimirum personae divinae, quippe *qui a patre* procedat (1), deque huius virtutis atque efficaciae caussa et origine; hanc igitur caussam hancque originem non extra Deum positam licet comminisci. Illud ergo, quod Christus *suum* esse ait, et de quo Spiritus sanctus accipit, patet non esse nisi divinum. Illud vero propterea suum esse Christus ait, quia, inquit, *omnia, quaecumque habet pater, mea sunt;* non ergo nomen *omnia* ea designat vel certe non ea solum quae creata sunt atque extra Deum sita, sed quae in ipso Deo. At, si *omnia,* quae in Deo sunt, Christi sunt, quid amplius volumus quo certiores fiamus Christum Deum esse?

v. 16. Quarta sermonis pars concluditur. Est autem haec conclusio ad analogiam materiei et exordii, quod legitur in v. 5. — *Modicum, et non videbitis me,* utpote brevi post

(1) Io. XV, 26.

hora mortem obiturum. — Verba *et iterum modicum, et videbitis me,* videri possent dicta de ipso Christo brevi post mortem revicturo; at, si ita haec intelligas, illa, quae statim sequuntur, hoc est *quia vado ad patrem,* pertinerent potius ad superiorem enuntiationem *modicum, et non videbitis me,* eiusque rationem exhiberent, ita non suo loco posita forent. Quare alteram huius versus partem, quod ex iis quoque comperimus quae dicemus de v. 17, ita interpretandam esse existimarem: *et iterum modicum, et videbitis me ire ad patrem,* ut in ea vox *modicum* dies significet interiectos inter Christi reditum in vitam eiusque adscensum ad caelos.

vv. 17. 18. Quoties evangelistae Christum de se post obitum ad vitam redituro colloquentem cum discipulis inducunt, toties hos notant, ut qui nihil ea de re intelligerent. Lege Marc. IX, 9. 31; Luc. XVIII, 34; Io. II, 19. 22. Id ipsum, quum hunc sermonem Christus haberet, accidisse videmus. Neque enim obscuriora ipsis esse poterant prima Christi verba *Modicum, et iam non videbitis me,* is namque satis aperte nec semel tantum significaverat se brevi moriturum; neque illa *et iterum videbitis me,* quum minime dubitarent Christum, non secus ac ceteros homines, aliquando revicturum; sed neque postrema verba *quia vado ad patrem,* siquidem haec essent pars prioris enuntiationis *Modicum, et iam non videbitis me,* quum crederent Christum Dei filium esse, proptereaque mortem obeundo ad patrem reverti. Verum illud inextricabile eis videbatur, quod Christus aiebat, fore ut brevi post ipsius obitum viderent eum ad patrem redire, illaque vox *modicum* potissimam difficultatem creabat, sicut discimus ex v. 18.

vv. 20-22. Quid haec cum dubitatione discipulis iniecta? Sed enim non unus hic locus est in quo Christus alia respondisse videatur ac quae rogabatur; id tamen in speciem; re enim vera, si huiuscemodi locos attentius inspiciamus et consideremus, pervidebimus ut eius responsa numquam non fuerint ob rem, idque iam aliquoties notavimus in Christi sermonibus a Ioanne descriptis, atque adeo in hoc ipso loco factum comperimus. Etenim in v. 20 Christus de illis ipsis rebus loquitur de quibus dixerat in v. 16, quasque disci-

puli non fuerant assequuti, tametsi non ipsas res enuntiat, sed rerum effectus, tristitiam inquam de ipsius obitu laetitiamque ob ipsius reditum in vitam, quas illi percepturi erant. Hunc huius versus sensum esse ea, quae sequuntur, omnem amovent dubitationem. Nam, quae dicit, quodam simili illustrat in v. 21, subiicitque in v. 22 talem illam tristitiam illamque laetitiam futuras; ast illa laetitia propterea percipienda, quia, inquit, *iterum . . . videbo vos;* non ergo alia illa tristitia nisi qua discipuli ob eius mortem tenerentur.

Quod cum primis necessarium futurum erat ubi Christus ad patrem regressus discipulos in terris solos reliquisset, his ille in postrema sermonis parte commendat atque inculcat ut preces Deo adhibere velint, rationemque, qua id faciant, docet.

v. 23. Prima tamen verba versus 23 conclusio sunt antea dictorum, non vero exordium eorum quae sequuntur. Cur ita credam, non una mihi caussa est. Primo verbum ἐρωτήσετε *rogabitis* in hoc loco non idem esse potest ac *precari*, sed *sciscitari*, quum numquam futurum esset ut Christi discipuli cum precari non opus haberent; non ergo integra sententia ad doctrinam, quae sequitur, de precibus Deo adhibendis pertinet. Deinde, si illa ad hanc pertineret, locus illi fuisset post verba *Amen, amen dico vobis,* quae non coniunctionis aut transitionis alicuius formula est, sed exordium a Christo usurpari solitum quum rem gravioris momenti efficacius docere atque inculcare vellet. Tum Christus superiora dixerat eo quod intellexisset *quia volebant eum* ἐρωτᾶν *interrogare;* apte igitur conclusit praedicens fore ut *in illo die* nihil ultra ipsum interrogent. — Liquet *In illo die* dictum esse pro *In illo tempore*. Sed de quo tempore? nam, etiam postquam Christus revixit, discipuli eum de quibusdam rebus interrogarunt Io. XXI, 21; Act. I, 6. Verum, quod Christus dixit, *me non rogabitis quidquam,* dictum esse videtur de ea re quae tunc discipulos dubios habebat vv. 17. 18, idemque valere ac nihil interrogabitis de eo quod nunc minus intelligitis, quippe quod, me in vitam brevi post mortem reverso moxque ad caelos adscendente, oculis vestris perspecturi sitis; neque aliter haec

verba interpretari oportere facile dabis, si nobis assentiaris, quod ostendimus, ea non exordium insequentium esse, sed priorum conclusionem.

Altera huius versus pars precandi modum nos docet precumque efficaciam.

v. 24. Hortatio ad ita precandum. Huius rei emolumentum.

v. 25. *Haec*, quae vobis nunc loquor de precum ratione ac necessitate, sicut et alia multa, *in proverbiis* seu parabolis alias *locutus sum vobis;* verum *ἔρχεται venit* (tempore praesenti) *hora, cum iam non in proverbiis loquar vobis, et cetera.* Nam etiam ad precandum Christus discipulos hortatus subinde fuerat parabolis adhibitis, sicut in Matth. VII, 9. 10; Luc. XI, 5-10. 11-13; XVIII, 1-6; sed, postquam in vitam redivit, parabolis numquam usus est.

vv. 26. 27. Caussa exponitur cur precibus ea efficacia sit. Christus minime negat se patri preces pro nobis adhibiturum, sed ait se id non dicere, significat autem eum esse patris erga nos amorem, ut, etiamsi ipse Christus non patrem pro nobis precaretur, nostris precibus nihilominus pater annueret. Fides et amor noster erga Christum sunt qui Deum ad nos amandum quodammodo compellunt, hic autem Dei in nos amor non sinit ipsum nobis precantibus obsurdescere.

v. 28. Veluti diceret: Ita quidem est, ut vos creditis; *exivi a patre, et veni in mundum;* nunc tamen *iterum relinquo mundum, et vado ad patrem.*

vv. 29. 30. Attamen haec eadem Christus, nec minus aperte, alias dixerat. Sed illud discipulorum animos perculisse videtur, quod factum narratur in v. 19.

vv. 31. 32. Confidentius fortasse, sicut legimus in v. 30, discipuli professi fuerant credere se quod Christus a Deo exiverit. Quare Christus eos monet ne de sua ipsi fide omnino securi sint, quae mox, illa ipsa nocte, gravi discrimini obiicienda esset. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CLXVIII. *Ecce ἔρχεται venit* (tempore praesenti) *hora, et iam ἐλήλυθη venit* (tempore praeterito), *ut dispergamini et cetera.*

v. 33. Conclusio totius sermonis, qui descriptus capitibus XIII-XVI continetur. — Nota haec antitheta: *In me pacem*

habeatis et *In mundo pressuram habebitis.* Sensus est: *Pressura,* qua mundus vos anget, *pacem* a me vobis partam turbare haud poterit, nam *ego vici mundum.*

CAPVT XVII

1 Haec locutus est Iesus: et sublevatis oculis
in caelum, dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum,
ut filius tuus clarificet te:
2 Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut
omne, quod dedisti ei, det eis vitam aeternam.
3 Haec est autem vita aeterna: Vt cognoscant te,
solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum.
4 Ego te clarificavi super terram: opus consummavi,
quod dedisti mihi ut faciam:
5 et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum,
claritate, quam habui prius, quam mundus esset,
apud te.
6 Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti
mihi de mundo: Tui erant, et mihi eos dedisti: et
sermonem tuum servaverunt.
7 Nunc cognoverunt quia omnia, quae dedisti mihi,
abs te sunt:
8 quia verba, quae dedisti mihi, dedi eis: et ipsi
acceperunt, et cognoverunt vere quia a te exivi, et crediderunt
quia tu me misisti.
9 Ego pro eis rogo: Non pro mundo rogo, sed
pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt:

10 et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt: et clarificatus sum in eis:

11 Et iam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum, sicut et nos.

12 Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi: et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.

13 Nunc autem ad te venio: et haec loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis.

14 Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo.

15 Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo.

16 De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo.

17 Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.

18 Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum.

19 Et pro eis ego sanctifico meipsum: ut sint et ipsi sanctificati in veritate.

20 Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me:

21 ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti.

22 Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut et nos unum sumus.

23 Ego in eis, et tu in me: ut sint consummati in unum: et cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti.

24 Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint meum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi.

25 Pater iuste, mundus te non cognovit. ego autem te cognovi: et hi cognoverunt, quia tu me misisti.

26 Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam: ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.

COMMENTARIVM

Christus iam non ultra cum discipulis loquitur, sed cum patre. Neque oratio aliqua haec est aut argumentatio, sed fervida quaedam precatio, in qua vividiores animi affectus, quibus ea plena est et quibus Christus, quum eam haberet, agebatur, notandi sunt et considerandi, potius quam ordo connexusque dictorum quaerendus, tametsi non desideretur.

Christus patrem precatur primo pro se vv. 1-6, deinde pro discipulis *et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in* ipsum vv. 6-26.

Itaque sibi gloriam postulat v. 1, — quae cur debeatur, caussam rationemque continuo affert. Opus a patre ipsi fuisse demandatum v. 2, — quod quale fuerit, explicat v. 3; — hoc se iam perfecisse v. 4; — rogare ergo ut merita gloria sibi detur v. 5. — Tum, confirmationis gratia, quomodo et quo

successu illud opus exsequutus sit, exponit vv. 6 - 8, itaque sensim sine sensu transit ad preces pro discipulis fundendas.

v. 1. De voce *hora* lege quae diximus in Io. XII, 23 - 28, quaeque in his locis annotavimus. — In hac sententia id, quod prius est, cum posteriore non ut conditio coniungitur, sed ut caussa cum effectu; *clarificato* enim filio pater clarificatur, quum una atque eadem utriusque sit gloria.

v. 2. Graecum καθως proprie idem est ac *sicut*, id tamen in Novo Testamento usurpari solet etiam ubi latine dicendum esset *siquidem*, *quoniam*, talemque sensum habet in hoc loco. — *Vt omne, quod dedisti ei, det eis vitam aeternam* hebraicus loquendi modus est, pro *ut omnibus, quos dedisti ei, det vitam aeternam.* — In his praesto habes argumentum luculentissimum quo vincas Christum pro omnibus hominibus mortem oppetiisse. Etenim *omnis carnis* positum esse pro *omnium hominum* manifestum est. Homines in potestatem Christo dati a patre ideo sunt, ut Christus omnibus, quos in ipsius potestatem pater dedit, aeternam vitam, quantum in se erat, largiretur. Atqui omnes homines Christo dati sunt in potestatem. Ergo, quaenam argumenti complexio sit, patet.

v. 3. In iis, qui aeternam vitam vivere volunt, hoc primum requiritur, ut Deum et Iesum Christum cognoscant. Confer Io. XX, 31. — Vocem *solum,* non superiori, sed insequenti voci iungendam esse apparet tum ex graeco exemplari, in quo sic est: σε τον μονον ἀληθινον Θεον, tum ex eo quod, non pater *solummodo*, sed, sicut mox dicitur, etiam Iesus Christus sit cognoscendus. Neque ita haec vox *solum* est accipienda ac si dictum esset: *qui solus es verus Deus,* veluti si Deus non esset nisi ipse pater, sed ita ut sensus sit: *qui es Deus solus verus,* quo alii quidem dii esse negantur, non tamen aliae personae quae una cum patre unus Deus sint; si enim ille prior esset horum verborum sensus, dicendum fuisset: μονον τον ἀληθινον Θεον. — Vnicus hic locus est in evangeliis in quo Iesus Christus sese utroque hoc nomine ipse designaverit; sensus autem is est: *Vt cognoscant Iesum, quem misisti, esse Christum.* Christi appellatio Θεανδρικη est. Confer iterum Io. XX, 31.

v. 4. *Ego te clarificavi super terram;* hoc Christus in terris degens unice quaesiverat curaveratque, patris sui gloriam. — *Opus consummavi;* nimirum illud de quo in vv. 2. 3 rursusque in vv. 6 - 8.

v. 5. Tempus est ut humana quoque natura, quam assumpsi, ea gloria apud te iam fruatur, qua apud te ab omni aeternitate ipse fui, utpote quod ego et tu unum simus. Lege Chrysostomum et Cyrillum.

v. 6. *Manifestavi nomen tuum hominibus,* de te homines docui quae docendi erant. Liquet *nomen* in hoc loco non idem esse ac vocabulum quo quis vocatur, sed id quod quis est. Lege quae diximus de Io. XII, 28. Quum Christus non solis discipulis *manifestaverit nomen patris,* ita haec interpungenda esse videntur: *Manifestavi nomen tuum hominibus. Quos dedisti mihi, tui erant, et cetera,* unaque est ex illis sententiarum inversionibus Ioanni usitatis.

Christus hac discipulorum mentione iniecta transitum parat ad preces quas pro eis patri adhibiturus mox est, illosque collaudans vv. 6 - 8 favorem eis ad patrem, quasi in antecessum, conciliat. — Deinde pro eis precatur v. 9, — et, cur faciat, rationes affert vv. 9 - 11. — Tum petit primo *ut unum sint,* itaque post ipsius discessum maneant vv. 11 - 13, — secundo ut pater eos in mundo degentes servet a mundi improbitate vv. 14 - 16, — tertio ut eos sanctificet vv. 17 - 19. — Addit non pro discipulis solummodo se precari, sed *et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum* v. 20, — iisdemque omnibus mutuam animorum coniunctionem vehementius, ac fecerat, petit vv. 21 - 23, — ac tandem caelestem beatitatem v. 24. — Precationem denique concludit profitendo se doctrina sua id voluisse eoque spectasse ut, quorum mentes iam ad fidem informasset, eorumdem animos divina caritatis virtute ornatos instructosque ipse possideret vv. 25. 26. — His positis ac praecognitis magna difficultatis pars amota est quam hoc libri caput facere videtur. Quod superest, singula exponamus quae illustrari porro indigent.

v. 7. Adverbium *nunc* non significat discipulos illa ipsa hora haec cognovisse, sed idem valet ac *iam;* quem in sensum in aliis quoque huius evangelii locis usurpatum legitur,

sive ad tempus praeteritum sive ad futurum designandum. — *Omnia*, hoc est omnia verba, sicut apparet ex versu insequente. — *Quae dedisti mihi, abs te sunt* non ταυτολόγως dictum est, quum non unum atque idem sit veritas et veritatis cognitio; priore enuntiatione *quae dedisti mihi* res ipsa, ut est, posteriore *quia omnia . . . abs te sunt* eadem haec res ut Christi discipulis iam cognita significatur.

v. 8. *Quia verba, quae dedisti mihi, dedi eis;* sensus idem est ac in Io. XV, 15. Rationem Christus explicat qua discipuli illud cognoverunt, quod dixit in versu superiore; quum hi accepissent quae ipse eos docebat, crederentque ipsum a Deo exisse ac missum esse, concluserunt simul illa, quae idem ipse docebat, a Deo esse.

vv. 9-11. Christus patrem pro discipulis precatur, tresque caussas affert quibus eum ad annuendum precibus moveat. Prima caussa: *Quia tui sunt;* nam *et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt;* ergo etiam discipuli. Haec vero, nam notare id oportet, nemo proferre queat nisi is qui Deus sit. Secunda caussa: *Et clarificatus sum in eis;* quippe quos misisset *ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus* (1), qui *in nomine* eius plurima signa edidissent, qui in universum orbem terrarum profecti humanum genus ad ipsius cultum et obsequium adducturi essent, qui denique pro eo mortem essent obituri. Tertia caussa: *Et iam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio;* hoc est: Iam iam e mundo discedens et ad te rediens eos in mundo solos relinquam.

Itaque primnm, quod petit, sic est: *Vt sint unum sicut et nos.* Frustra sunt qui contendunt his verbis infirmari argumentum consubstantialitatis filii et patris quod ipse filius nobis suppeditavit quum ita dixit: *Egò et pater unum sumus* (2). In argumentis ductis a simili nemo id postulat, ut, quae comparantur, eadem altera alteris sint, sed ut aliqua in eis exstet analogia. Certe Christus, quum ita nos hortabatur: *Estote ergo vos perfecti sicut et pater vester caelestis perfectus est* (3), non

(1) Luc, X, 1.
(2) Io. X, 30.
(3) Matth. V, 48.

quidem volebat ut Dei perfectionem adaequaremus. Nihil itaque obstat quominus haec Christi verba sic intelligamus: *Vt sint unum* mente, animo, voluntate, *sicut et nos* unum sumus essentia et natura. Adde quod, etsi haec dicta essent de convenientia et coniunctione voluntatis Christi cum patris, non hoc efficeretur illorum quoque verborum *Ego et pater unum sumus* significationem hanc ipsam esse oportere; quin imo ipsa orationis materies, sicut ostendimus ubi illam Christi sententiam exposuimus, non sinit eam sic interpretari.

vv. 12. 13. Caussam, cur patrem roget ut discipulos ipse servet, Christus affert: Quia, inquit, *cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo; . . . nunc autem ad te venio,* eosque hic relinquo. — Verba *et haec loquor* una cum verbo *venio* coniuncta sunt vocibus *ad te,* hoc est, *ad te . . . loquor.* Sensus est: Priusquam *ad te venio,* adhuc *in mundo* degens, *ad te haec loquor,* haec pro eis te rogo. — Post caussam, cur patrem id rogaret, commemoratam, finem quoque exponit ob quem optat ut discipuli *sint unum,* isque est, inquit, *ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis;* quumque manifeste pateat *gaudium alicuius* illud solummodo dici posse quo is afficitur, horum sensus est: Vt habeant in semetipsis de quo ego plene gaudeam. Confer Io. XV, 11. — Christus illa nocte multus fuit in commendanda mutua caritate atque animorum coniunctione; addit hac re gaudio suo cumulum accedere.

vv. 14 - 16. Alterum, quod pro discipulis Christus petit. Verborum *Ego dedi eis sermonem tuum* sensus idem est ac in v. 8 et in Io. XV, 15. Sententiarum autem connexus sic est: *Ego dedi eis sermonem tuum;* hinc illud, ut *mundus eos odio* habeat, *quia,* quum *sermonem tuum* ipsi acceperint (1), mihique adhaeserint, iam *non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo.* Quare *rogo, non ut tollas eos de mundo,* quod sine maximo hominum damno non fieret, *sed ut serves eos* *εκ του πονηρου ex improbo (dal malvagio),* qua *improbi* appellatione ipse mundus designatur. — Notanda vis praepositionis *ἐκ ex,* quae in hac verborum constructione secretionem

(1) Confer v. 8.

et separationem sonat; ita ut Christus patrem non simpliciter roget ut discipulos servet a mundi improbitate, sed ita servet ut a mundo improbo secreti sint ac separati. — In v. 16 repetit quod dixerat in v. 14, utpote rem quam maximi faceret, quamque discipulorum animis penitus insidere opus esset.

vv. 17 - 19. Tertia petitio. Christus rogaverat patrem ut discipulos tutos praestaret a mundi improbitate secretosque ab ipso mundo; nunc hoc amplius, ut eos sanctos efficiat, tales, inquam, qui Deo sacri sint ac devoti, idque *in veritate*, hoc est *per veritatem*, nimirum per ipsius patris *sermonem*. Confer Io. XV, 3. — In altera huius versus parte *sermo* est *subiectum* sententiae, *veritas* est *praedicatum*, sicut e graecis verbis liquido intelliges, quae sic sunt: *ὁ λογος ὁ σος ἀληθεια ἐστι (il tuo verbo è verità)*. — Petitionis ratio subiungitur in v. 18, eaque est munus quo discipuli fungi debebant; neque enim in mundo mansuri utcumque erant, sed ad mundum legationem obituri. — Vox *sicut* significat ad eumdem finem, hoc est ad hominum salutem, discipulos a Christo in mundum mitti, ad quem pater miserat ipsum Christum. — Quo patrem ad annuendum moveat, Christus haec addit in v. 19: *Et pro eis ego sanctifico meipsum*, victimam me iam efficio, ad id quoque exorandum quod nunc rogo. Ita Chrysostomus et Cyrillus.

vv. 20 - 23. Quae pro discipulis, eadem *et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum*, Christus petit, ac cetera quidem in universum v. 20, illud tamen expressis verbis vv. 21 - 23, quod tantopere commendabat atque inculcabat, dico virtutem caritatis. — Ne qua difficultas sit a voce *sicut*, quod saepius in his versibus usurpatum est, recole quae diximus de v. 11.

Vt omnes, hoc est universus Christianorum coetus totaque ecclesia, *unum sint, sicut tu, pater, in me et ego in te*. Cur vero non dixit, quemadmodum paullo infra in v. 22, *sicut et nos unum sumus?* Quia, si ita dixisset, rem quidem enuntiasset, sed rationem quoque rei ac modum aperire voluit; filius enim et pater unum sunt ita ut alter in altero sit propter unam numero indivisamque naturam. Lege quae diximus de Io. XIV, 10. Rei autem modo semel exposito in

hoc versu 21, non erat cur eum repeteret in versu 22, sed satis fuit ipsam rem simpliciter enuntiare.

Vt et ipsi in nobis unum sint; quibus verbis Christus ostendit velle se ut non solum inter nos unum simus, sed etiam, quoad eius fieri potest, unum cum Deo, ea ratione qua se et patrem unum esse dixit, ita, inquam, ut nos simus in Deo, quod in hoc versu dicitur, et Deus in nobis, quod dicitur in v. 23. Divina enim caritas, illaque ipsa qua inter nos coniungimur atque alteri in alteris quodammodo sumus, ea est quae nos Deo copulat, divinaeque efficit consortes naturae, ita ut homo iustus et Deus per hanc naturae κοινωνίαν, sicut filius et pater per naturae ἑνότητα, alter in altero sit.

Vt credat mundus et cetera, quae sunt usque ad finem versus 23, ad huius unitatis tantopere a Christo commendatae excellentiam commonstrandam pertinent. Talem unitatem argumento futuram Christum a Deo missum esse, eumdemque claritatem, quam a patre acceperat, nobiscum communicasse, patrem vero nos eodem amore dignatum esse quo ipsum filium amat.

Versum 22 Cyrillus sic explicat: *Hanc, quae data est mihi, inquit, abs te, o pater, gratiam et gloriam, ut nimirum unum tecum sim, dedi eis, ut* et ipsi *sint unum, sicut et nos unum sumus.* Nec secus Chrysostomus.

His positis apparet materiem duabus partibus distinctam esse. Prima pars: *Vt credat mundus quia tu me misisti, et* quia *ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus, ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum*, hoc est, ut eorum tum inter se tum nobiscum unitas sit perfectissima. Altera pars: *Et cognoscat mundus quia tu me misisti et* quia *dilexisti eos sicut et me dilexisti.*

Cur Christus legationis suae mentionem iterato faceret, ratio fortasse haec fuit, ut certius ac distinctius significaret alterum, non secus ac primum, hac legatione effectum esse, tum quod ipse claritatem suam nobiscum, eo modo quo dictum est, communicaret, tum quod pater nos sicut ipsum diligeret.

Ergo haec unitas res est adeo divina, ut eius auctor nequeat non a Deo missus esse, utque per eam Christus claritatem, quam accepit a patre, nobiscum participet, ut denique ea certiores fiamus a Deo nos ita amari sicut ipsum filium.

v. 24. Postremo Christus patrem rogat ut ad aeternam beatitatem secum una fruendam adducat omnes quos ipsi Christo dedit. — Nota illud *volo* non more rogantis dictum, sed rem sibi debitam postulantis, illudque *sum* tempore praesenti. — *Vt videant* illam Christi *claritatem* illamque patris erga eum *dilectionem* quas dixerat in v. 23, et de quibus ita nunc loquitur, ut quarum haec altera illius primae caussa sit. — *Ante mundi constitutionem;* ergo ab omni aeternitate. Confer Io. I, 1.

vv. 25. 26. Cur Christus hanc precationem concludens patremque compellans *iustum* eum dixerit, quod numquam alias factum ab eo legimus, ratio fortasse haec fuit, quod nos docere vellet *ius* sibi esse ea, quae rogabat, exorare. — *Hi cognoverunt quia tu* pater meus *me* filium tuum *misisti;* discipuli credebant Dei, non modo legatum, sed filium Christum esse. — *Nomen tuum;* lege quae diximus de Io. XII, 28. — *Et notum faciam;* porro efficiam ut magis ac magis te noscant. — *Vt dilectio et cetera;* nam *finis* sicut *praecepti* ita et omnium virtutum atque adeo ipsius fidei *est charitas* (1), qua nos et Deus invicem diligimus.

CAPVT XVIII

1 Haec cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans Torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, et discipuli eius.

2 Sciebat autem et Iudas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Iesus convenerat illuc cum discipulis suis.

(1) 1 Tim. 1, 5.

3 Iudas ergo cum accepisset cohortem, et a Pontificibus, et Pharisaeis ministros, venit illuc cum laternis, et facibus, et armis.

4 Iesus itaque sciens omnia, quae ventura erant super eum, processit, et dixit eis: Quem quaeritis ?

5 Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum. Stabat autem et Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis.

6 Vt ergo dixit eis: Ego sum: abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram.

7 Iterum ergo interrogavit eos: Quem quaeritis ? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum.

8 Respondit Iesus: Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quaeritis, sinite hos abire.

9 Vt impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.

10 Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum: et percussit pontificis servum: et abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen servo Malchus.

11 Dixit ergo Iesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum ?

12 Cohors ergo, et tribunus, et ministri Iudaeorum comprehenderunt Iesum, et ligaverunt eum:

13 Et adduxerunt eum ad Annam primum, erat enim socer Caiphae, qui erat pontifex anni illius.

14 Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudaeis: Quia expedit, unum hominem mori pro populo.

15 Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, et introivit cum Iesu in atrium pontificis.

16 Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariae: et introduxit Petrum.

17 Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum.

18 Stabant autem servi, et ministri ad prunas: quia frigus erat, et calefaciebant se: erat autem cum eis et Petrus stans, et calefaciens se.

19 Pontifex ergo interrogavit Iesum de discipulis suis, et de doctrina eius.

20 Respondit ei Iesus: Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, et in templo, quo omnes Iudaei conveniunt: et in occulto locutus sum nihil.

21 Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt quae dixerim ego.

22 Haec autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes pontifici?

23 Respondit ei Iesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me caedis?

24 Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.

25 Erat autem Simon Petrus stans, et calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Numquid et tu ex discipulis eius es? Negavit ille, et dixit: Non sum.

26 Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo?

27 Iterum ergo negavit Petrus: et statim gallus cantavit.

28 Adducunt ergo Iesum a Caipha in praetorium. Erat autem mane: et ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.

29 Exivit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?

30 Responderunt, et dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.

31 Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, et secundum legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudaei: Nobis non licet interficere quemquam.

32 Vt sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus.

33 Introivit ergo iterum in praetorium Pilatus, et vocavit Iesum, et dixit ei: Tu es rex Iudaeorum?

34 Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?

35 Respondit Pilatus: Numquid ego Iudaeus sum? Gens tua, et pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti?

36 Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo. si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Iudaeis: nunc autem regnum meum non est hinc.

37 Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam.

38 Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum

hoc dixisset, iterum exivit ad Iudaeos, et dicit eis: Ego nullam invenio in eo causam.

39 Est autem consuetudo vobis ut unum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Iudaeorum?

40 Clamaverunt ergo rursum omnes, dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

COMMENTARIVM

v. 1. *Egressus est,* ex urbe Hierosolyma videlicet; nam, quae relata sunt in capita XV - XVII, Christus loquutus est dum egressus e coenaculo ibat ad urbis portam. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CLXV. CLXVII. CLXX. — *Cedron* torrens est, qui labitur per vallem cognominem, inter montem, in quo Hierosolyma posita est, interque montem Olivetum ab ortu assurgentem.

v. 2. Iudas e coenaculo abiverat ante Christum; qui ergo scire potuit Christum esse in illo horto? Sed enim vel Christus dixerat se post coenam illuc iturum, vel Iudas cum cohorte prius venit ad coenaculum, ubi quum Christum non invenisset, coniecit eum versus Bethaniam discessisse, esseque in Gethsemane, quo frequenter convenire solebat. — *Frequenter;* nimirum per illos postremos vitae dies, quos Hierosolymae egit, Christus vespere Bethaniam ibat pernoctatum (1), quumque ille hortus esset proxime viam, in eo aliquantisper subsistere solitus fuisse dicendus est.

v. 3. Qui ex *laternis et facibus* argumentum depromunt ut negent anno aerae vulgaris XXIX diem primum azymorum, quo die Christus cruci fixus est, incidisse in diem 18 martii, eos refutatos habemus in Lib. III de Evangeliis Diss. LII. n. 25.

(1) Lege Lib. III De Evangel. Diss. XLIX. n. 3 et Luc. XXI, 37.

vv. 8. 9. Lege Io. XVII, 12.

v. 10. Petrum esse, qui id commisit, unus Ioannes memoriae prodidit. Lege Lib. I de Evangeliis cap. IV. n. 35.

v. 11. *Calicem,* hoc est cruciatus et necem. Confer Matth. XX, 22. 23; XXVI, 39. 42; Marc. X, 38. 39; XIV, 36; Luc. XXII, 42. Non a Iudaeis, sed a patre hunc calicem sibi porrigi Christus ait.

vv. 13 seqq. Annas et Caiphas, illa saltem nocte, erant in eadem domo. Lege quae dicemus de v. 24. — Quae difficultates sunt in componenda hac historiae parte descripta a Ioanne cum ceterorum evangelistarum narrationibus, eas dissolutas leges in Lib. II de Evangeliis Annot. CLXXVII. — De Anna et Caipha diximus in Lib. III de Evangeliis Diss. XLI. n. 14. — Quem in sensum accipienda sit appellatio *pontifex anni illius,* leges ibidem Diss. XXVIII. n. 25.

v. 14. Confer Io. XI, 49 - 51.

v. 15. Hic *alius discipulus* Ioannes ipse fuisse creditur. Proprio enim nomine, tametsi non semper, ceteros discipulos, se vero non item, is solet designare.

vv. 16. 17. Vt Ioannis ceterorumque evangelistarum narrationes de tribus lapsibus Petri ordine una componas, lege prius Lib. II de Evangeliis Annot. CLXXVIII. Hoc in loco primus horum lapsuum describitur.

v. 18. Quum *frigus* esset, sequitur ut illo anno mensis paschalis non is fuerit cuius interlunium incidit in diem 2 aprilis, sed in 4 martii. Lege Lib. III de Evangeliis Diss. LII. n. 24. — Ioannes hoc in loco relinquit Petrum *stantem et calefacientem se,* ut ad alia transeat, ad illum etiam *stantem et calefacientem se* rediturns paullo post v. 25.

vv. 19 - 23. Qui ad componendas narrationes evangelistarum putant necesse esse haec transferre post v. 24, eos refutavimus in Lib. II de Evangeliis Annot. CLXXVII; ubi etiam intelliges quid sentiendum sit de appellatione ἀρχιερέως *pontificis* facta Annae. — *In synagoga*, graece ἐν συναγωγῇ sine articulo, sicut potior auctoritas legere suadet. Christus, quum Hierosolymae esset, docebat in templo, quum alibi, in synagoga; sed etiam extra templum et synagogam. — *In occulto locutus sum nihil.* Nam, inquit Augustinus, *quod seorsum disci-*

pulis loquebatur, non in occulto utique loquebatur . . . . Quis namque in occulto loquitur, qui . . . hoc loquitur paucis, quod per eos velit innotescere multis, sicut ipse Dominus ait illis, quos adhuc paucos habebat: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et, quod in aure auditis, praedicate super tecta. Ergo et hoc ipsum, quod ab ipso dici videbatur occulte, quodammodo non dicebatur in occulto. Tum illud *nihil* non universe dictum est, sed de iis de quibus Annas Christum interrogaverat.

v. 24. Non *ad domum Caiphae*, sed *ad Caipham*, quem in illa ipsa domo tunc fuisse, in qua Annas erat, apparet ex comparatione versuum 18 et 25. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CLXXX.

v. 25. Vides Petrum adhuc in eodem loco eademque positura qua prius v. 18; non ergo Christus, ut ab Anna ad Caipham adduceretur, domo eductus fuerat. Alter Petri lapsus. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CLXXX. CLXXXI.

vv. 26. 27. Tertius Petri lapsus. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CLXXXII.

v. 28. *In praetorium*, hoc est ad domum Pontii Pilati praesidis. Iudaei religioni sibi ducebant intrare in domum alienigenae, talique ingressu contaminari se arbitrabantur. Confer Act. X, 28; XI, 2. 3. — Ne forte ex hoc loco existimes Hierosolymitas pascha egisse postridie eius diei quo Christus egerat, lege Lib. III de Evangeliis Diss. L. n. 29. — *Pascha* vocabatur non solum agnus, qui comedebatur vespere ineuntis diei quintidecimi primi mensis, sed et victimae quae insequente luce mactabantur et, aeque ac ille agnus, edebantur. Lege ibidem n. 28.

v. 31. *Nobis non licet interficere quemquam.* Sunt qui putent ius iudiciorum capitalium ablatum Iudaeis fuisse a Romanis. Attamen illi non semel Christum lapidibus obruere tentarunt, Stephanum haud longo post tempore ita interfecerunt, Paullo quoque necem machinati sunt. Crederem quod homines haud possent quin sentirent quam iniqua essent quae in Iesum moliebantur, sibique stulte blandientes, velut si rei futuri non essent necis quam, non ipsi suis manibus, sed per alium ei intulissent, assentatorie illa dixerint, quo facilius sententiam de manu praesidis extorquerent.

v. 32. Hunc Christi *sermonem,* quem Ioannes commemorat, ipse quidem in nullam evangelii sui paginam retulit, ceteri tamen evangelistae omnes retulerunt Matth. XX, 17-19; Marc. X, 32-34; Luc. XVIII, 31-34; illeque est quo Christus praedixit fore ut Iudaeorum principes ipsum *gentibus* traderent interimendum.

v. 33. Cur Pilatus ita Iesum interrogaverit, intelliges ex Luc. XXIII, 2. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CLXXXVII.

v. 36. *De hoc mundo, ... ex hoc mundo;* utrumque graece est ἐκ του κοσμου τουτου. Sensus est Christi regnum non esse unum regnorum quae sunt in terris.

v. 37. *Tu dicis.* Haec vel affirmatio est eius quod Pilatus interrogavit, vel is loquendi modus, vulgo usitatus, quum rem in medio relinquere volumus. Confer Matth. XXVI, 25. In hunc alterum sensum ea accipienda esse videntur, quum Christus nihil addiderit quo, cuiusmodi regnum suum esset, explicaret. Non autem addidit, quia sperandum non erat ut Pilatus intelligeret. Quare, missa quaestione de regno, id, cui assequendo Pilati mens par esset, respondet, ac verbis maxime universalibus ac generalibus necessitatem exponit cognoscendae veritatis. Confer Io. XIX, 9. — *Qui est ex veritate,* qui veritatem amat, veritatis studiosus.

v. 38. Quae veritas quid esset, Pilatus nec sciebat nec scire admodum curabat. Hoc alterum caussa fuit cur ille, ut id Iesum interrogavit, responsum neque exspectans, foras iverit.

v. 39. Etsi Ioannes haec Pilati verba statim post superiora retulerit, non tamen ait statim dicta ab illo esse. Nam inter utraque locus est iis quae Lucas narrat de Iesu a Pilato ad Herodem misso (1).

(1) Luc. XXIII, 5-16.

CAPVT XIX

1 Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, et flagellavit.

2 Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius: et veste purpurea circumdederunt eum.

3 Et veniebant ad eum, et dicebant: Ave rex Iudaeorum: et dabant ei alapas.

4 Exivit ergo iterum Pilatus foras, et dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam.

5 (Exivit ergo Iesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum:) Et dicit eis: Ecce homo.

6 Cum ergo vidissent eum Pontifices, et ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, et crucifigite: ego enim non invenio in eo causam.

7 Responderunt ei Iudaei: Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.

8 Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.

9 Et ingressus est praetorium iterum: et dixit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei.

10 Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te?

11 Respondit Iesus: Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.

12 Et exinde quaerebat Pilatus dimittere eum. Iudaei autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris. omnis enim, qui se regem facit, contradicit Caesari.

13 Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum: et sedit pro tribunali, in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha.

14 Erat autem parasceve Paschae, hora quasi sexta, et dicit Iudaeis: Ecce rex vester.

15 Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus Regem, nisi Caesarem.

16 Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur. Susceperunt autem Iesum, et eduxerunt.

17 Et baiulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae, locum, Hebraice autem Golgotha:

18 ubi crucifixerunt eum, et cum eo alios duos hinc, et hinc, medium autem Iesum.

19 Scripsit autem et titulum Pilatus: et posuit super crucem. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus, Rex Iudaeorum.

20 Hunc ergo titulum multi Iudaeorum legerunt: quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Iesus: Et erat scriptum Hebraice, Graece, et Latine.

21 Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudaeorum: Noli scribere, Rex Iudaeorum: sed quia ipse dixit: Rex sum Iudaeorum.

22 Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.

23 Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, (et fecerunt quattuor partes: unicuique militi partem) et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.

24 Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. Vt Scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi: et in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem haec fecerunt.

25 Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, et soror matris eius, Maria Cleophae, et Maria Magdalene.

26 Cum vidisset ergo Iesus matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suae: Mulier, ecce filius tuus.

27 Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

28 Postea sciens Iesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio.

29 Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius.

30 Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum.

31 Iudaei ergo, (quoniam Parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, et tollerentur.

32 Venerunt ergo milites: et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo.

33 Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura,

34 sed unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua.

35 Et qui vidit, testimonium perhibuit: et verum est testimonium eius. Et ille scit quia vera dicit: ut et vos credatis.

36 Facta sunt enim haec ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo.

37 Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

38 Post haec autem rogavit Pilatum Ioseph ab Arimathaea, (eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudaeorum) ut tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, et tulit corpus Iesu.

39 Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhae, et aloes, quasi libras centum.

40 Acceperunt ergo corpus Iesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudaeis sepelire.

41 Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus: et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat.

42 Ibi ergo propter Parasceven Iudaeorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.

COMMENTARIVM

vv. 1-3. Ioannes haec ait facta ante quam Pilatus sententiam diceret, quae tamen Matthaeus et Marcus narrant post dictam a Pilato sententiam. Verum Matthaeus et Marcus temporum ordinem non semper sequuntur (1), sique locum excipias in quo haec descripserunt, nihil suggerunt quo efficiatur ea post iudicium absolutum facta esse. E contrario apud Ioannem ea legimus quae secus concludere nos cogunt. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CXC. CXCI. CXCIII. — *Alapas* redditum est pro graeco ῥαπίσματα, cuius maxime propria notio est *ictus virga inflicti.*

v. 4. Adverbium *iterum* in hoc loco non idem sonat ac *secundo.* Confer Io. XVIII, 38 et lege Lib. II de Evangeliis Annot. CCXVI.

v. 5. *Ecce homo* הנה האיש *(Eccolo qui).* Horum emphasin facile sentis. — Porro manifesto vides ut Iesus flagellis caesus spinisque coronatus fuerit ante quam capitis a Pilato damnaretur.

v. 7. Filium Dei vulgari sensu sese appellare, non modo religiosum non erat, sed pium, eaque appellatio in veteribus quoque scripturis usurpata legitur. Iudaei ergo probe senserant ut Christus, non illo vulgari, sed vero ac proprio sensu hanc sibi appellationem faceret.

v. 8. Pilatus de miraculis a Christo editis compertum procul dubio habebat, nuntii quoque sibi missi ab uxore (2) effecerant ut sine sollicitudine esse non posset quinam Christus esset; quum ergo iam ita esset animo comparatus, mirum non est metum aliquem ipsi ingestum esse ut audivit Iudaeos Christum accusantes *quia filium Dei se fecit,* tametsi, quomodo id esset, profecto haud intelligeret.

v. 9. Lege quae diximus de Io. XVIII, 37. Christus Pilatum, quaenam ipsius origo esset, sciscitantem nullo responso

(1) Lege Lib. II De Evangel. nn. 1 seqq.
(2) Matth XXVII, 19.

dignatur, certe eadem illa de caussa qua de ipsius regno interroganti vix quidquam responderat.

v. 11. Istud *propterea* non item valet ac si argumentum tale esset: Potestas tibi est caussarum capitalium; ergo me innocentem damnans minus peccabis quam qui me tibi interimendum tradiderunt; is enim sensus accipi nequit, quum uterque homicidii reus aeque sit, tum accusator tum iudex quorum opera innocens morte mulctatur. Itaque Christus dicere voluit minus quam Iudaeos Pilatum peccaturum, non quidem quia illam potestatem haberet, sed quia ita, ut dicebat, se habere putaret, ignorantia enim, etsi culpabilis, peccatum minuit. Sunt qui haec postrema Christi verba ita intelligant, ut, non Pilati peccatum cum peccato Iudaeorum comparetur, sed sensus sit Iudaeos necem Christo machinatos gravius peccare propterea quia praesidis potestate ad id abuterentur.

v. 12. *Exinde*, graece *ἐκ τουτου ex hoc*, quod non modo tempus significat, sed etiam caussam. Confer Io. VI, 66.

v. 13. *Lithostrotos λιθοστρωτος lapillis stratus*, opere tessellato videlicet. — *Gabbatha* גבהתא *locus elatus*, nomen syrochaldaicum, femininum, forma emphatica.

v. 14. Nomen *παρασκευη parasceve* hoc in loco usurpatum non est ad significandam *praeparationem* paschatis, sed ad sextum diem hebdomadae designandum ita ab Hellenistis vocatum; quam rem compluribus argumentis confirmatam invenies in Libro III de Evangeliis Diss. L. nn. 30 seqq. — Marcus scripsit Christum cruci fixum quum hora tertia esset (1); quid ergo Ioannes ait horam quasi sextam fuisse quum Pilatus sententiam dixit? Quo hanc difficultatem removeas, una dumtaxat, neque alia praeter hanc, via patet, ut dicamus librariorum errore in alterutro evangelio notas Γ et F alteram cum altera esse commutatas; id autem Ioannis evangelio contigisse, inque eo F pro Γ a librario positum esse, ac pro *sexta* rescribendum *tertia*, optimae rationes sunt cur credamus, quas leges in Libro II de Evangeliis Annot. CXCV.

(1) Marc. XV, 25.

v. 15. *Non habemus regem nisi Caesarem ;* quibus verbis quid pontifices necopinantes significaverint, exposui in Libro II de Interpretatione scripturarum sacrarum Quaest. VI. n. 78.

v. 17. *Calvariae locum,* non montem; *locum* omnes evangelistae eum appellant. *Golgotha* גלגלתא *cranium, calvaria,* nomen syrochaldaicum, femininum, forma emphatica. Hic locus hodiernae urbis muris comprehensus, olim exiguus tumulus fuit, extra urbem ab occasu assurgens, moenibus tamen proximus, ita ut crucis titulus ex urbe legi posset v. 20. Plurimos habes quos legas, hunc locum plus minusve accurate describentes. Iuverit ea quoque legere quae de stabulo bethlemitico scripsimus in Libro III de Evangeliis Diss. XXII. nn. 8-10.

v. 18. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CXCVI. Quum quaestio utrum Christus cruci fixus fuerit ante quam crux erigeretur, an postquam erecta fuerat, nihil habeat momenti ad evangelium intelligendum, eam missam facimus; item eademque de caussa utrum Christi pedes singuli singulis clavis, an ambo unico clavo confixi.

v. 19. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CXCVII. Lucas ait titulum scriptum fuisse *litteris graecis et latinis et hebraicis* (1); ex quo quidam existimant, non tribus linguis, sed trium linguarum literis, una tamen lingua, saltem quod attinet ad literas graecas et latinas, Pilatum in hoc titulo conscribendo usum esse. Apud Ioannem haec legimus: *Et erat scriptum hebraice, graece, et latine.* In tituli reliquiis, quae in basilica sessoriana asservantur, ordo linguarum est sicut a Ioanne describitur.

v. 23. Lege Lib. III de Evangeliis Annot. CXCV.

v. 24. Hoc oraculum desumptum est ex Ps. XXI, 19, illudque Ioannes transcripsit omnino sicut legitur apud graecum interpretem Psalmorum. — De verbis *Vt scriptura impleretur* iam diximus in Io. XIII, 18.

v. 25. Non plane liquet utrum verba *soror matris eius Maria Cleophae,* imo *Clopae,* sic enim graece est, unicam feminam significent an duas. Si primum, quod omissa parti-

(1) Luc. XXIII, 38.

cula *et* praeferre suadet, non tamen praeferendum evincit, haec Maria fuisset soror, non germana, sed patruelis Mariae matris Iesu; graeca enim ἡ του Κλωπα nil significare possunt nisi *filiam Clopae* (1), Clopan autem, eumdem ac Alphaeum (2) Iacobi patrem (3), Mariae virginis patruum fuisse multa sunt quae credere suadent (4). Haec ergo Maria eodem patre genita est ac Iacobus, quem Clopae filium veteres dixerunt. Quod si Ioannes duas feminas designat, *soror matris* Iesu illa erit, item Maria nominata, quam Matthaeus (5) et Marcus (6) narrant praesentes Christo morienti affuisse, et matrem dicunt Iacobi et Iosephi, quamque Clopae uxorem fuisse putamus. Lege Lib. III de Evangeliis Diss. IX. c. III. n. 9 et c. XX. n. 21. Alias quoque mulieres, praeter has a Ioanne commemoratas, illic affuisse discimus ex Matthaei et Marci narrationibus.

v. 26. *Mulier*. De hac appellatione diximus in Io. II, 4.

v. 27. *In sua* inter ea quae sua erant, εἰς τα ἴδια, non *in suam*, ut quidam vellent. Lege quae diximus de Io. I, 10. 11, et confer Io. XVI, 32.

v. 28. *Quia omnia consummata sunt*, sicut ipse Christus paullo post dixit v. 30. — *Vt consummaretur scriptura* ἵνα τελειωθῃ ἡ γραφη. In Novo Testamento verba τελειουσθαι την γραφην *consummari scripturam* et πληρουσθαι την γραφην *impleri scripturam* unum atque idem valent v. 24. — *Scriptura*, quam Ioannes ait *consummandam* fuisse, haec est: *In siti mea potaverunt me aceto* (7), sicut apparet ex iis quae mox facta narrantur v. 29. — Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CC.

v. 30. Quam late pateat significatio huius Τετελεσται *Consummatum est*, quam vocem Christus postremam protulit, melius ac plenius quis attenta piaque meditatione assequetur, quam enarrando queat demonstrari.

(1) Lib. III De Evangeliis Diss. IX. c. XIX. n. 40; c. XX. n. 14.
(2) Ib. c. III. n. 9.
(3) Marc. III, 18.
(4) Lib. III De Evangeliis Diss. IX. c. XX. nn. 12 - 14.
(5) Matth. XXVII, 56.
(6) Marc. XV, 40.
(7) Ps. LXVIII, 22.

v. 31. In graeca pagina haec inverso ordine sic leguntur: *Vt non remanerent in cruce corpora sabbato, quoniam parasceve erat.* — Omissio articuli ἡ ante nomen παρασκευη certiores nos facit hoc quoque in loco id usurpari, non qua *praeparationem* significat, sed ut nomen proprium est diei sexti hebdomadae. Lege quae dicta sunt de v. 14. Porro, etsi *praeparationem* significaret in hoc loco, ipsa tamen materies argumento esset agi de praeparatione, non paschatis, sed sabbati. — In graecis codicibus, qui de meliore nota commendantur, non est ἡ ἡμερα ἐκεινη του σαββατου *dies ille sabbati*, sed ἡ ἡμερα ἐκεινου του σαββατου *dies illius sabbati*, quibus pari nota codices latini ac plerique interpretes suffragantur. Quos si sequaris, intelliges *magnum* a Ioanne dici, non sabbatum quod fuit postridie mortis Christi, sed diem qui eo anno incidit in illum sabbatum, atque adeo, non propter sanctitatem omnibus sabbatis communem, sed propter illius ipsius diei propriam, quippe qui fuerit secundus dies azymorum multimodis sacer ac religiosus. Lege Lib. III de Evangeliis Diss. L. nn. 44 seqq. — Mos Romanorum erat cruciariis, posteaquam aliquanto tempore pependerant, crura confringere moxque inflicta plaga eos necare. — His, quae Ioannes narrat, illud adversari videtur quod legimus apud Marcum, ut Pilatus, quum ab ipso Iosephus peteret corpus Iesu, miratus sit hunc iam obiisse (1); qui enim id mirari poterat factum quod ipse, sicut Ioannes ait, fieri iusserat? Sed attende illud ἤδη *iam;* nimirum miratus est tam cito, quod iusserat, milites exsequutos esse.

v. 34. Hunc et versum 30 confer cum I Io. V, 8.

v. 35. Animadverte Ioannis Docetas et Phantasiastas refutantis sollicitudinem.

v. 36. Hoc, quod Deus Israelitas observare iusserat in epulo paschali, ne agni ossa confringerent (2), typus, sicut ex hoc loco Ioannis comperimus, fuit eius quod in Iesu cruci fixo observatum est; quare haec *scriptura* secundum sensum spiritalem impleta in Christo esse censenda est.

(1) Marc. XV, 44.
(2) Exod. XII, 46; Num. IX, 12.

v. 37. Haec a Zacharia (1) praedicta fuerant.

v. 38. De *Arimathaea* est in Libro III de Evangeliis Diss. XXXIV. n. 10. — *Occultus;* confer Io. XII, 42.

v. 39. Confer Io. III, 1. 2; VII, 50.

v. 40. Lege Lib. III de Evangeliis Diss. L. n. 56.

v. 41. Confer quae diximus de v. 17.

v. 42. *Propter parasceven Iudaeorum* δια την παρασκευην των Ἰουδαιων. Articulus, appositio nominis *Iudaeorum*, ratio quae affertur verbis *quia iuxta erat monumentum*, tota denique materies ostendunt nomen παρασκευην *parasceven* in hoc loco esse *praeparationem* sabbati, eam, inquam, quae a Iudaeis הכנה appellabatur. — Christus vivere desierat hora nona, Iosephus Pilatum adiit ὀψιας γενομενης *cum sero factum esset* (2), proximus ergo erat solis occasus ac sabbati initium; haec si attendas, intelliges quid valeat illud *quia*.

CAPVT XX

1 Vna autem sabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebrae essent, ad monumentum: et vidit lapidem sublatum a monumento.

2 Cucurrit ergo, et venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum, quem amabat Iesus, et dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum.

3 Exiit ergo Petrus, et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum.

4 Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus praecucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum.

(1) Zach. XII, 10.
(2) Matth. XXVII, 57; Marc. XV, 42.

5 Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina,
non tamen introivit.

6 Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et in-
troivit in monumentum, et vidit linteamina posita,

7 et sudarium, quod fuerat super caput eius, non
cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in
unum locum.

8 Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui ve-
nerat primus ad monumentum: et vidit, et credidit:

9 nondum enim sciebant Scripturam, quia opor-
tebat eum a mortuis resurgere.

10 Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos.

11 Maria autem stabat ad monumentum foris,
plorans: Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit
in monumentum:

12 et vidit duos angelos in albis, sedentes, unum
ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat cor-
pus Iesu.

13 Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras ? Dicit eis:
Quia tulerunt Dominum meum: et nescio ubi posue-
runt eum.

14 Haec cum dixisset, conversa est retrorsum,
et vidit Iesum stantem: et non sciebat quia Iesus est.

15 Dicit ei Iesus: Mulier, quid ploras ? quem quae-
ris ? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Do-
mine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti
eum: et ego eum tollam.

16 Dicit ei Iesus: Maria. Conversa illa, dicit ei:
Rabboni (quod dicitur Magister.)

17 Dicit ei Iesus: Noli me tangere, nondum enim

ascendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum.

18 Venit Maria Magdalene annuncians discipulis: Quia vidi Dominum, et haec dixit mihi.

19 Cum ergo sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausae, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudaeorum: venit Iesus, et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis.

20 Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, et latus. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino.

21 Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.

22 Haec cum dixisset, insufflavit: et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum:

23 quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.

24 Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Iesus.

25 Dixerunt ergo ei alii discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus eius, non credam.

26 Et post dies octo, iterum erant discipuli eius intus: et Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, et stetit in medio, et dixit: Pax vobis.

27 Deinde dicit Thomae: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum: et noli esse incredulus, sed fidelis.

28 Respondit Thomas, et dixit ei: Dominus meus, et Deus meus.

29 Dixit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, et crediderunt.

30 Multa quidem, et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc.

31 Haec autem scripta sunt ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei: et ut credentes, vitam habeatis in nomine eius.

COMMENTARIVM

Quomodo haec historia de mulieribus deque Petro et Ioanne Christi sepulcrum invisentibus cum illa, quae legitur in ceteris evangeliis, sit componenda, ostendimus in Libro III de Evangeliis Diss. LIII, aliaque huc pertinentia habes in Libro II de Evangeliis Annot. CCVII seqq. Ceterum vix aliquid in ea est quod alia declaratione indigeat.

v. 1. *Vna autem sabbati* sive, ut graeca sunt, *των σαββατων sabbatorum;* hoc est primo die hebdomadae. — *Maria Magdalene*, non tamen sola, sicut apparet ex v. 2.

v. 2. *Tulerunt Dominum de monumento;* quod illa coniectando affirmabat, non enim in monumentum intraverat.

vv. 6. 7. Res adeo minutatim descripta satis esset ut scriptor proderetur, qui, quae a Petro visa esse narrat, et ipse viderit, etiamsi non adderet, sicut continuo facit, se quoque eà vidisse.

v. 8. *Et credidit*, Christum revixisse videlicet. Confer v. 9. Nota usitatam illam clausulam hoc quoque in loco adhibitam.

v. 9. *Sciebant*, graece *ᾔδεισαν sciverant*. His ratio redditur cur non ante Ioannes Christum revixisse crediderit Mariae Magdalenae narranti, quam ipse sepulcrum vacuum et cetera suis oculis conspiceret.

v. 11. Maria Magdalene, postquam venerat ad Petrum et Ioannem, hisque nuntiaverat sepulcrum vacuum esse, illuc vel una simul cum eis vel mox reversa est.

v. 16. Ioannes in v. 14 de Maria haec dixerat: *Conversa est retrorsum, et vidit Iesum stantem;* quid ergo in hoc versu 16 verbum *στραφεῖσα conversa* significat? Crederem translatam esse eius significationem, ac tantum id valere atque illa, quae de Petro dicuntur in Actis, *γενομενος ἐν ἑαυτῷ ad se reversus* (1), hoc est ex stupore, quo tenebatur, ita ut Iesum non agnosceret, sese recipiens. Res ipsa hanc interpretationem confirmat. — Aliquot codices tum graeci tum latini nonnullique interpretes haec addita habent: *Et accurrit tangere ipsum*. Certe aliquid huiusmodi Mariam fecisse, discimus ex iis quae statim sequuntur.

v. 17. *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum*. Sed cur Christus sese tangendum Magdalenae prohibuit, quem tamen postea discipulis exhibuit palpandum (2)? Quid vero illa caussa quam subiicit, quid is connexus: *Nondum ascendi ad patrem meum;* ergo *noli me tangere*? Vt haec intelligamus animadvertere prius iuverit longe aliam fuisse rationem contactuum, quos Christus Magdalenae negavit, quosque discipulis obtulit. Illa hoc unum quaerebat, ut amori, quo flagrabat, faceret satis; hi a dubitatione revocandi erant, an is, quem conspiciebant, Iesus esset ad vitam reversus. Itaque iis equidem assentior qui censent haec non simpliciter dicta a Christo esse, ut qui a Magdalena tangi nollet, sed quia vellet ut ea quamprimum discipulos conveniret, quaeque vidisset, doceret, atque ipsius mandata eis perferret. In praesenti mitte, inquit, complexus et oscula; erit quum satis amori erga me tuo facere liceat, *nondum enim ascendi ad patrem meum*, sed vobiscum aliquammultis diebus manebo; nunc vero *vade et cetera*.

(1) Act. XII, 11.
(2) Luc. XXIV, 39.

v. 19. Quae iam Ioannes narrat, gesta esse videntur post solis occasum. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CCXIII. Ita Iudaeis dies secunda hebdomadae iam inceperat. Sed fac memineris eius, quod non semel notavimus, a Ioanne in evangelio diebus civilibus initium fieri, non cum Iudaeis occasu solis, sed cum Romanis noctis medio. Lege quae diximus de Io. XII, 1. 12; XIII, 1. — *Pax vobis.* Haec quasi quaedam formula salutationis esse vulgo creditur, idem valens quod nobis *salve, salvete;* verum ea uti mos erat tunc solummodo, quum quis alterum, cui improvisus aderat, monebat nullum inde metum conciperet, conceptum vero amandaret; nos ita loqueremur: *Ne quid timeas, Securus esto.*

v. 20. Frustra sunt qui ex his arguunt Christi pedes cruci non clavis affixos fuisse, sed funibus alligatos; nam ex Luca discimus Christum discipulis etiam pedes ostendisse (1).

v. 21. Confer Io. XVII, 18.

v. 22. Insufflatio symbolum fuit dationis Spiritus sancti; datus autem re ipsa hic a Christo discipulis est verbis: *Accipite Spiritum sanctum.* Confer Io. VII, 39.

v. 23. Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit verba illa Salvatoris: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento poenitentiae, sicut ecclesia catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem, contra institutionem huius sacramenti, ad auctoritatem praedicandi evangelium, anathema sit* (2). Enimvero potuissetne Christus apertioribus ac perspicuioribus verbis uti ad hanc rem significandam?

v. 24. Confer Io. XI, 16.

v. 26. *Post dies octo,* hoc est octavo post die, qui primus fuit hebdomadae insequentis. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CCXIV.

v. 27. Id tamen facere Thomas non ausus fuisse videtur.

v. 28. *Dominus meus et Deus meus.* Qui negant Thomam haec pronuntiasse compellando ipsum Christum, sed admira-

(1) Luc. XXIV, 39. 40.

(2) Concil. Tridenl. Sess. XIV de Poenit. can. 3.

tione raptum in exclamationem prorupisse Deum invocando, risu eos magis excipi quam argumentis refutari par est.

v. 29. Finis evangelio fit hoc Christi effato, quod, quum Ioannis consilio ac proposito, tum clausulae ab ipso usurpari solitae apprime respondet.

v. 31. Libri conclusio, qua et ipsius libri argumentum et scriptoris consilium docemur.

CAPVT XXI

1 Postea manifestavit se iterum Iesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic:

2 Erant simul Simon Petrus, et Thomas, qui dicitur Didymus, et Nathanael, qui erat a Cana Galilaeae, et filii Zebedaei, et alii ex discipulis eius duo.

3 Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus et nos tecum. Et exierunt, et ascenderunt in navim: et illa nocte nihil prendiderunt.

4 Mane autem facto stetit Iesus in littore: non tamen cognoverunt discipuli quia Iesus est.

5 Dixit ergo eis Iesus: Pueri numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non.

6 Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete: et invenietis. Miserunt ergo: et iam non valebant illud trahere prae multitudine piscium.

7 Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) et misit se in mare.

8 Alii autem discipuli navigio venerunt: (non enim
longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium.

9 Vt ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem.

10 Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc.

11 Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete.

12 Dicit eis Iesus: Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes, quia Dominus est.

13 Et venit Iesus, et accipit panem, et dat eis, et piscem similiter.

14 Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis cum resurrexisset a mortuis.

15 Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos.

16 Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos.

17 Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? et dixit ei: Domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas.

18 Amen, amen dico tibi: cum esses iunior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas: cum autem senue-

ris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis.

19 Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me.

20 Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui et recubuit in coena super pectus eius, et dixit: Domine quis est qui tradet te?

21 Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Iesu: Domine hic autem quid?

22 Dicit ei Iesus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.

23 Exiit ergo sermo iste inter fratres quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus: Non moritur, sed: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?

24 Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec: et scimus, quia verum est testimonium eius.

25 Sunt autem et alia multa, quae fecit Iesus: quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

COMMENTARIVM

Evangelio iam absoluto hanc quasi appendicem a Ioanne adiectam Ideo esse, ut opinionem eorum refelleret qui ipsum nequaquam moriturum putabant, ipsa huius capitis materies nos docet, tum demonstravimus in Libro I de Evangeliis c. IV. nn. 37 seqq. In hac quoque historia nemo Ioannem auctorem non agnoscit, testemque oculatum eorum quae narrantur. Narrationis forma eadem illa ipsa totius libri propria, simplex et nativa, simulque pellucens ac vivida.

v. 1. Christi discipuli iussi fuerant ire in Galilaeam (1); quo tamen non iverunt nisi post octo dies exactos ex quo Christus revixerat (2). — *Iterum* πάλιν in hoc loco, sicut apparet ex v. 14, non significat *secundo*, sed *rursus*, *denuo*. Lege Lib. II de Evangeliis Annot. CCXVI. — Regionum suarum lacus Hebraei *maria* vocabant. Hic lacus, qui et *lacus Genesareth* appellabatur, nomen invenit a *Tiberiade*, urbe in eius litore occidentali ab Herode Antipa, tetrarcha Galilaeae, in honorem Tiberii Caesaris exstructa, sicut alibi diximus.

v. 2. De Nathanaele diximus in Io. I, 45. — *Filii Zebedaei* Iacobus et ipse Ioannes evangelii scriptor.

v. 8. Vides scriptorem navigandi peritum, qui oculis litorum distantias metiri didicit. — Vox *trahentes* nil contrarium praefert eius quod est in v. 6; nam et graeca verba alia sunt, et alia significantur. In v. 6 piscatores dicuntur non potuisse rete *trahere* ἑλκύσαι, in navim videlicet; in v. 8 legimus eosdem hos navi ad litus venisse *trahentes* σύροντες *(strascinando) rete piscium* post navim.

v. 11. *Et cum tanti essent, non est ruptum rete.* Patet id annotari tamquam quid mirum. At quisnam notare id potuisset, nisi piscator, qui perspectum haberet quot pisces rete caperet?

(1) Matth. XXVI, 32; XXVIII, 7. 10. 16; Marc. XIV, 28; XVI, 7.
(2) Confer Io. XX, 19. 26.

v. 14. *Tertio.* Ex evangeliis inter se comparatis compositisque efficitur quidem tunc Christum septimo, postquam revixerat, aliis atque aliis visum esse; at discipulis una congregatis *tertio manifestatus* tunc *est*. Lege Librum II de Evangeliis Annot. CCXVI.

vv. 15 - 17. Agnos et oves, uno verbo, gregem Christi nil aliud esse quam ecclesiam nemo sanus unquam dubitavit. Huius gregis pascendi potestatem Petro collatam narrari in hoc loco, qui eum vel obiter legit, nequit non pervidere. Res cum uno Petro transacta, dilectionis erga se professio, quam Christus ter ab eo exegit, grex pascendus ei a Christo, semel, iterum, tertio, commendatus, omnia denique adiuncta nos cogunt credere tunc Petro munus, quum grande atque eximium, tum eius unius proprium traditum a Christo esse. Ceterum non pauci sunt qui totum hunc locum praeclare pertractarunt. — In v. 16 graeca pagina non ἀρνία *agnos* habet, sed πρόβατα *oves*, sicut in v. 17.

v. 18. Quorsum haec spectarent, Ioannes docuit in versu insequente. Cur autem Christus Petro haec praedixerit, caussa haec fuisse videtur, ut ostendendo sibi probe perspectum esse ad quem finem Petri in ipsum amor esset evasurus, hunc solaretur moerentem propterea, quia ipse Christus de eius amore quodammodo dubitare visus esset, quam sollicitudinem in Petri animo reminiscentia eorum alebat quae sibi acciderant in domo pontificis.

v. 19. Ex hoc loco manifeste efficitur Petrum, quum Ioannes haec scribebat, iam fuisse interemptum. Lege Lib. I de Evangeliis c. IV. n. 35.

v. 22. In hoc aeque ac in insequente versu pro *sic* graeca pagina habet ἐὰν *si;* non tamen aliud significatur in latina ac in graeca, quum, sicut continuo Ioannes haec explicat, Christus non affirmando ea protulerit, sed καθ' ὑπόθεσιν. Enimvero nihil est quod cum quibusdam reformides in illa vocula *sic*, quantumvis destituta praesidio alterius voculae *si*, cuius alterius, ut ita dicam, vices, quum loquimur, ipse vocis flexus, ipsa modulatio, atque adeo ipse loquentis vultus, ipsi oculi, quae certe historicus nequit exprimere, gerere non raro soleant, eosque, qui audiunt, certiores faciant utrum, quum

vulgari sermone sic loquor: *Io voglio ch'egli si rimanga così; a te che t' importa?* affirmando id dicam, an ita ac si dicerem: *Se io voglio ch'egli si rimanga così, a te che t' importa?* Lege quae in huius libri prooemio monuimus de ratione qua Ioannes aliorum sermones ac dicta descripsit. Ceterum non is sum qui omnimodis vincere velim hanc particulam *sic* esse retinendam.

v. 23. Vides quo haec appendix pertineat.

v. 24. Hic versus collatus cum v. 20 cumulum affert argumentis quae certiores nos faciunt huius quoque postremi capitis Ioannem auctorem esse.

v. 25. Totius evangelii clausula, post appendicem necessario iterata. Confer Io. XX, 30. — Hyperbolen, non secus ac ceteras rhetoricorum figuras, scriptores sacri, ubi res ferebat, usurpare haud reformidarunt.

FINIS

NIHIL OBSTAT

Felix Sopranis Soc. Iesu Praep. Prov.

IMPRIMATUR

Fr. Dom. Buttaoni Ord. Praed.
Sac. Pal. Ap. Mag.

IMPRIMATUR

Fr. Antonius Ligi-Bussi Archiep. Iconiensis
Vicesgerens

EIVSDEM AVCTORIS SVNT

De interpretatione sacrarum scripturarum libri [illegible] Romae typis Ioannis Bapt. Marini et Socii 1844. II vol. 8.°

Commentationes tres, de [illegible] divinis, de peccati [illegible] a Paulo descripta, de Christo pane [illegible] Romae ex typographia Bonarum Artium 1851. I vol. 8.°

De interpretatione [illegible] ad Christum pertinentium [illegible] Christo Zachariae et Malachiae [illegible] praenuntiato Commentationes [illegible] Romae typis Bernardi Morini 1853. I vol. 8.°

De [illegible] [illegible] Mariae [illegible] a Deo [illegible] Disquisitio, cum Appendice de [illegible] in lingua [illegible] Romae typis Bernardi Morini 1853. I vol. 8.° et 4.°

[illegible] Libraria Herderiana 185[illegible] II vol. 4.°

De [illegible] Romae typis [illegible] 1856. I vol. 4.°

[illegible]